THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY

Rare Books

IOSEPHI CASTALIONIS IVRISCONSVLTI VARIAE . LECTIONES ET OPVSCVLA . QVORVM . NOMINA POST . EPISTOLAM.

AD PETRVM . ALDOBRANDINVM CARDINALEM.



ROMAE, Ex Typographia Bartholomaei Bonfadini. 1594

SVPERIORVM PERMISSV.

Marci Ant.i Vergili Battiferri Canonici Vrbinatus et Archidiaconi.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/variaelectionese0103cast

C 352 J

PETRO ALDOBRANDINO CARDINALI

IOSEPHVS CASTALIO S. P. D.

QVONIAM, *quae tibi Cardinali creato gratulabundus obtuliſſem, ea non aſpernari mihi viſus eſſes, recepi Horatio Oricellario amplitudinis tuae ſtudioſiſſimo, qui mihi apud te adfuiſſet, daturum me operam, vt primo quoque tempore opus aliquod cum obſeruantiae erga te meae non vulgari ſignificatione appareret. Quare ſtatim animum ad ſcribendum appuli, paucisq. diebus Variarum lectionum volumen,*

& Opuſcula quaedam, ad antiquitatis cognitionem quae maxime pertinent concinnaui. Nonnulla in his ſunt, quae iuris, legumque ſtudioſis, vt ſpero, ſatisfacient. Eruditionis certe, & amoenitatis poeticae notis pleraq. reſperſi. Illud quidem vel in primis ſpectaui, vt litterarum amatoribus adiumento eßem. Hoc autem ſtudij genere te vel praecipue delectari mihi perſuadeo, qui iuris prudentiam cum bonarum artium ſtudijs coniunxiſti; à quibus qui abhorrent, horridi plane, inculti, & omnis abſolutae doctrinae expertes ſint, neceſſe eſt, eorumq. ſimiles videntur, qui mercede conducti cauſas agunt, emolumentum, non elegantiae, & perfectae eruditionis laudem ſecuti. Quorum bona pars, ex quo barbaries in Italiam inuecta eſt, ad haec vſque tempora omnium prope Ciuitatum fora, & iudicia occupauit. Longe aliter maiores tui ſenſerunt, qui ſe ad Scaeuolae, Sulpicij, Trebatij, Papiniani, & Vlpiani potius imaginem, quam ad iſtorum horriditatem compoſuerunt. Ac, ceteros vt omittam, quis Siluestro

ſtro Auo tuo prudentior, acutior, ſubtilior in diſputando & reſpondendo, aut elegantior, & politioris diſciplinae in ſcribendo ſtudioſior fuit? Eius ſcripta ob ſingularem eruditionem, & dicendi genus excultum omnium manibus teruntur. Hanc quaſi hereditariam poſſeſsionem retinuerunt Pater, & Patrui tui, ad omnem ingenij, doctrinae, & orationis comendae gloriam nati. Ioannes ſane, quem Pius Quintus in Sacrum Cardinalium Collegium ob vitae morumq. integritatem, atque multiplicem ſcientiam legit, incertum erat vtrum legum, an linguarum eſſet peritior. Thomas vero & Graecas, & Latinas litteras adeo excoluit, vt in ijs plane excelluerit. Viuent profecto eius ſcripta, ac ſumma cum admiratione, & voluptate legentur. Quis Diogenem Laertium ab eo Latinitate donatum, & adnotationibus illuſtratum non expetat, non auide percurrat, in ſinu non ferat, atque in delicijs habeat? Equidem tanta eius generis dulcedine capior, vt facile, quod ille inquit, omnium vicos, & prata contemnam. De Clemen-

mente vero Pontifice Optimo Maximo, quem Deus vniuersi iuris custodem, parentem, & conditorem esse voluit, nihil est quod quisquam expectet, dum dicam. si enim in hanc orationem ingrederer, exitum profecto non reperirem. Illud sane argumento est, summam esse in Clemente Octauo bonarum artium cognitionem, quod apud se optimos, praestantissimoq. viros, & hac praesertim laude clarissimos Siluium Antonianum Sacri Cubiculi Magistrum, & Marcellum Nobilium intimum, & gratiosissimum familiarem habet. Ad te igitur haec affero, qui & tua sponte, & tuorum exemplo in haec studia strenue incumbis. Quod autem feci, vt libri singulae partes ad singulos amicos pertinerent, id non plane nouum est, neque exemplo caret. factitarunt id ante me complures viri doctissimi. Eos quidem delegi, qui honesto loco nati, & liberaliter educati libenter sua, & se ipsos totos tibi tradunt. Vale: & si hoc officij mei genus tibi non iniucundum accidisse perspexero, efficies, vt deinceps maiora quaedam in tuae spem gra-

tiae

tiae audeam. Iterum Vale. VII. Idus Martias. M. D. XCIV.

OPVSCVLORVM . NOMINA

De antiquis Puerorum praenominibus Commentarius.

De Vergili nominis recta ſcribendi ratione Commentarius.

Aduerſus Feminarum praenominum aſſertores Diſputatio.

IOSEPHI

CASTALIONIS

IVRISCONSVLTI

VARIAE . LECTIONES

A D

ALEXANDRVM. RODVLFIVM

IO . FRANCISCI . F

ROMAE, Ex Typographia Bartholomaei Bonfadini. 1594

SVPERIORVM PERMISSV.

ALEXANDRO RODVLFIO IOANNIS FRANCISCI FILIO

IOSEPHVS. CASTALIO S. P. D.

EX ijs, quae anno superiore a nobis ad Institutionum & legum locos paullo obscuriores notabantur, cum tibi, & Bartholomaeo Cavalcanti, iuueni humanissimo, Iuris ciuilis elementa traderem, nonnulla delegi ab humanioribus studijs haud prorsus aliena, & in Variarum Lectionum volumẽ conieci. Ea quando ad te iure optimo pertinent, tuo nomini praecipue inscripta, ac typis excusa in publicum prodire tuo cum splendore volui. Tu enim is es, qui ad generis nobi lita-

litatem ingenij quoq. & virtutis propriam laudem adiungis, dignusq. prope iam existimaris, per quem RODVLFIAE *familiae ornamẽta restituta boni omnes velint. Quod tamen mirum videri poterit nemini, qui te* IOANNIS FRANCISCI *viri optimi, & ornatissimi filium, praeceptis* HIERONYMI MEII, *Graecarum litterarum cognitione praestantissimi, institutum, &* RODVLFI *fratris eruditissimi, & honestissimi vestigijs insistentem, cognouerit. Addo etiam complurium sapientissimorum, hominũ, in primis vero* ANTONII QVAERENGI, ALEXANDRI BVRGII, IOANNIS BAPTISTAE STROTII, *&* COM. GABRIELIS CAPRAE *familiaritatem, ac consuetudinem. Tu vero in isto aetatis flore ad gloriam, vt facis, contende; & amoris hoc in te mei monumentum libenti animo complectere. Vale. Romae IV. Idus Ian.* CIↃ IↃ XCIV

VARIARVM LECTIONVM CAPITA

AD l. quae res pignori obligari possunt. Cōmentarius, Alumnus qui. pag. 1

Ad l. Vsufructuarius, de Vsufructu Commentar. quid tectorium, & rudis paries. 1

Ad legem cxxx 1. de verb. sign. Comment. 3

Qui sit equus dexter, qui sinister in agitatione, & Bigarum Certamine. Turnebus reprehensus. 6

An Britannos vicerit Augustus. Horati, & Suetoni loci collati. 9

Cur mare Adriaticum aestuosum. 11

Num veteribus insignia fuerint. collati Illustriū Poetarum loci. 13

Vergili locus collatione aliquot poetarum explicatus. Seruius reprehensus. 15

Vergili & Stati loci collati. 17

Vergili locus, a Statio expressus. 18

Infrenis quid sit, aduersus Seruium, & Donatū. 18

Olympi apud Vergilium recte scriptum, reiectae multorum castigationes. Patrius Casus per simplicem tertiam vocalē in soluta quoq. oratione contra Prisciani sententiam scribendus. 19

Quid sibi velit aratrum muris inducere. collatus Modestini I. C. locus cum Horatiano. 22

Sidera

Sidera pro singulis stellis, aeger pro aegroto, reiecta quorundam scrupulosa proprietatis obseruatione. 22
Matrimonia cum fratrum vxoribus dãnata, Aegyptiorum & Iudaeorum instituta super ea re, defensus Imp. Zeno, Connanus reprehensus. 25
Libertini qui. 27
De Tribu Camilia extra xxxv. numerum. 29
Ex consule, ex quaestore qui vocarentur. 30
Grates agi recte dicuntur. 35
Solstitium, siue Solstitia numero multitudinis pro aestiuo tãtum. Vergili locus illustratus. 36
Pecunia in nominibus occupata ideſt mutuo data, vel ad nomina facienda destinata, nostra nõ est. Ciceronis, & Iurisconsultorum loci comparati. 38
Lustrum quinque annorum spatium, Horati locus illustratus. 41
Versus obeliſci Constantiniani aliquot locis illustrati & restituti, metallum pro marmoris fodinis. 44
Praetor tutelaris 47
Aureli Prudenti locus emendatus. 50
Enni versus apud A. Gellium explicati. Fruſtrari & fruſtra esse, quid. M. Antonius Muretus laudatus. 51
Mortales inuocari a poetis non esse insolens, aut nouum. 52

Horati

Horati, & Valeri Flacci loci collati. 56
Ouidi loci ex epistola Penelopes vindicati, Iulius Caesar Scaliger reprehensus. 57
Vergili & Liui, loci collati, de Etruscorum imperio. 59
Fului Vrsini, & Iosephi Scaligeri opera in Festo explendo. 60
Vnde quis sit nominandus 62
Lucani aliquot loci defensi, aduersus Iulium Caesarem Scaligerum. 63
Recondita nominum, & verborum per numeros figura. 64
Lunae silentium, Vergilius & Statius collati. 65
Vergili, & Valeri Flacci, loci collati. 66
Viduare ad mares quoq. referendum, Seruius reprehensus. Vergilius, & Siluius collati. 67
Caput Mundi Roma loci poetarum collati. 68
Horati, & Ouidi, loci collati. 68
Horati, & Claudiani, loci collati. 69
Quid sit apud Vergilium mare stare, Seneca emẽdatus. 70
Vergili & Tibulli, loci collati. 71
Vergili locus a Claudiano expressus. 72
An vlla vis veneficijs in amore fuisse sit credita. 72
Explicatus Verg. locus, Seruius reprehensus. 73
Cur picti Geloni, a Verg. dicti Claudiani locus collatus. 74

Ver-

Vergi. locus, a Claudiano expreſſus. 75
Vergili & Stati loci collati. 75
Vergili locus explicatus, Prudenti collatus, Seruius, & Turnebus reprehenſi. 76
Ante ne, an poſt Subſtantiuum collocandum, ſit adiectiuum. 77
Litterarum monumentis praeſtantiſſimorum hominum memoriam conſeruari. Eius rei aliquot poetarum, Ciceronisq. & Senecae ſententiae congeſtae. 79
Homeri, Heſiodi, & Vergili, locus collatus. 82
Numiſma Inici Dauali. Carmen Ioſephi Caſtalionis ad Thomam Daualum. 83

Errata ſic corrigenda.

pag. 4 Cum dicimus ante diem decimum.
15 Querente aheno iactat.
30 in eam potius ſententiam diſcedit.
41 Cauimus, & domini ius omne remiſimus aegro
44 Credidit & placido vexerunt aequora fluctu
71 Cariſium.
83 Attamen incenſus maiorum laude tuorum.
84 Hyadas.

IOSEPHI CASTALIONIS IVRISCONSVLTI

Ad l. 1. C. quae res pignori oblig. poss. Commentarius.

ALVMNVM, *Alumnamque*, esse, qui, quae ve alitur; non item, qui, quae ve alit, facile doctis viris probabo. Illud autem difficilius explicatu est, quod in l. 1. C. quae res pign. oblig. poss. legitur. Nam ibi Accursius, parum constans, modo filios ex concubina, modo eos, qui aluntur, aut qui alunt, *Alumnos* interpretatur. Ac Prateius se non legisse scribit, qui significatum proprium *Alumni* explicet in specie, d. l. 1. §. Semproniam. l. Codicillis, ff. de vsu & vsu fructu leg. Ego, quid censeam, vt potero, exponam, si prius eorum sententiam, qui *Alumni* vocabulũ actiuae significationis esse contendunt, refutaro. Equidem mirari satis non possum, quid ijs in mentem venerit, quamobrem cõtra veterum optimorum Latinae linguae auctorum vsum *Alumnos* interdum eos dici, qui alunt

asserverint. Plautus certe Mostellaria notae significationis nomen ad amatorem festiue transtulit; ducta similitudine a puero, qui ad nutricem se confert. Apud illum Callidamantes sic loquitur:

Ecquid tibi videor mammam adire.
O, Ocellus es meus, tuus sum alumnus.

Idem Poenulo proprie:

Herus meus hic quidem est, mearum alumnarum pater.

Verba sunt Giddenemes nutricis. Verg. lib. Aen. sexto:

——— nec Romula quondam
Vllo se tantum tellus iactabit alumno.

Idem lib. vndecimo:

——— sed non felicibus aeque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.

Horat. epistolarum lib. 1. ad Tibullum:

Quid voueat dulci nutricula maius alumno.

Ceterum Alumno, Alumnaeque, Nutrix, Altrix, Educatrix, Nutritor, Altor, Educator, respondent. Instit. quibus ex causis man. §. eadem lege: *Iustae autem manumissionis causae hae sunt: veluti si quis patrem, aut matrem, filium, filiam ve, aut fratres, sorores ve naturales, aut paedagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum, alumnam ve, aut collactaneum manumittat.* Laurentius quidem Valla egregie hanc partem tuetur: sed iniuste Nonium Marcellum accusat. Non enim exempla ex auctoribus, quos eruditissimus grammaticus laudauit, eo producta sunt, vt *Alumnum* pro educatore acceptum ostendant. neque id Nonius scripsit. Verum mendoso Valla vsus exemplari, (in quibusdam enim libris pro Aluntur, Alunt est legere.) Nonium errasse pronuntiauit. Inepte autem faciunt, qui actiuam in suis Lexicis Alumno significationem attribuunt; neque auctorum locos recte expendunt; sed contra, quam scriptum est, accipiunt, atque comminiscuntur mera somnia. Nam, quod apud Plinium legitur lib. 3. cap. 5.

Terra

Terra omnium terrarum alumna, eadem & parens, de Italia loquitur, cum Alumna pro altrice interpretantur, ne ipsi nihil intelligere videntur. Italiam Plinius terrarum omniū parentem, quae omnium gentium, nationum, populorum rem, salutem, honestatem, legibus, ac legionibus tueretur; eandem *Alumnam* terrarum dixit, idest, quam vicissim vniuersus terrarum orbis aleret, commeatu iuuaret. Huc pertinent versus Claudij Rutilij Numatiani, cuius Itinerarium elegis elegantissime conscriptum, a nobis emendatum, & adnotationibus illustratum, superioribus annis edidimus. Romam alloquitur:

Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
Altricemq. suam fertilis orbis alat.

Si quidem Populus Romanus frumento ex Aegypto, atque Africa importato vtebatur. quod ex Claudiano discitur, initio libri de bello Gildonico:

Tot mihi pro meritis Libyam, Nilumq. dedere;
Vt dominam plebem, bellatoremq. Senatum
Classibus aestiuis alerent, geminoq. vicissim
Litore diuersi complerent horrea venti.

Eodem libro tantae rei frumentariae comparandae causam exponit:

Quid mihi septenos montes, turbamq. dedistis,
Quae paruo non posset alit felicior esse m
Angustis opibus. mallem tolerare Sabinos,
Et Veios. breuior duxi securius aeuum.
Ipsa nocet moles. vtinam remeare liceret
Ad veteres fines, & moenia pauperis Anci.
Sufficerent Etrusca mihi, Campana q. culta.

Idem dicendum esset de altero Plinij loco, qui libro naturalis hist. extremo corrupte ab istis producitur, si ita legeretur, vt adnotarunt: *Italia rectrix, parens q. mundi alumna.* Non enim *Alumna*, sed *Altera*, rectius omnino in libris emendatioribus legitur. Iam vero, quod ex Q. Cur-

tij libro octauo affertur, non efficit, quod volunt. *Alumnũ*, inquit, *Vestrum Regem ne deseratis*. Milites monentur, ne Regem suum, apud quos Rex ipse natus, altusq. esset, quemq. ipsi prope aluisse videbantur, destituerent. non esse peregrinum Regem, non externum, aut alienum, sed ciuem, natiuum, indigenam, atque adeo alumnum profitetur. Illud profecto ridiculum est, quod agmen claudit. Producitur e libro primo Cic. de Diuinatione versus:

Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae:

atque ita exponitur: *Aquae alumnae*, idest, quae alit. idq. sensit Marius Nizolius. Quid hoc pinguius, quid ineptius fieri potest? Aquae attribuitur, quod ad Ranas referēdum est. Alloquitur enim auctor ranas, aquarum alumnas. id quod manifestum fit versus ipsos attentius legenti:

Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae,
Cum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoq. sono fontes, & stagna cietis.

Quam isti longe a sententia feruntur, quam toto errant caelo. Sed & Iacobus Cruquius in Horatium ad Od. viij. lib. iij.

——————— abeasq. paruis
——————— Aequus alumnis.

aduersus Vallam Varronis locum apud Nonium actiue interpretatur. Varro Eumenidibus:

Et ecce de improuiso ad nos accedit cana veritas,
Atticae philosophiae alumna, &c.

Ad quem locum Cruquius inquit, *Ex veritate namque philosophia, non etiam ex philosophia veritas nata est.* Quid absurdius? Immo a philosophia veritas fouetur, alitur, educatur, si non nascitur. Veritatis igitur altrix, nutrixq. philosophia est. quod Cruquius non vidit. Neque aliter accipiendus est Cor. Taciti locus de claris Oratoribus: *Est*, inquit, *magna ista, & notabilis eloquentia alumna licentiae, quam stulti Libertatem vocant.* Haec Tacitus. Licentia enim

enim eloquentiam notandam, & animaduersione dignã foueri, ali q. significat, non ex eloquentia licentiam ortam esse, vt inepte putat Cruquius. Cicero quoque de claris Oratoribus hoc dicendi genere vsus est: *Pacis est*, inquit, *comes, otijq. socia, etiam bene constitutae ciuitatis quasi alumna quaedam eloquentia*. Quis non videt, bene constitutam Ciuitatem esse eloquentiae altricem? Nunc ad primam Legem Codicis, titulo, quae res pignori obligari possunt, aggrediamur. *Alumnos tuos, & ceteras res, quas neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse, generali pacti conuentione, quae de bonis tuis facta est, in caussa pignoris non fuisse rationis est*. *Alumnos* Accursius, vt dixi, incertus est quo pacto accipiat. nam modo filios ex concubina, modo eos, quos aluisti, aut qui te aluerunt, opinatur. In Accursij sententiam a Doctoribus passim itur. Ego *Alumnos*, de quibus mentio fit in d.l. 1. seruos esse vernas, quos sibi quis a teneris, vt aiunt, vnguiculis peculiariter educauerit, sine vlla dubitatione edisero. Quis enim poset specialiter obligare liberos homines? Operae autem pretium facturus mihi videor, si paullo altius disputationem repetam. Alumnum constantissime eum tantum optimus quisque Latinitatis auctor dixit, quemcumque quis aluisset. cui respondet, vt dixi, Altor, Nutritor, Educator. Nec interest, seruus ne, an liber sit, qui alitur, superior ve, aut inferior. De Pallante, Euandri Regis filio, Acetis armigeri alumno, Vergilius lib. Aen. xi. cecinit:

Corpus vbi exanimi positum Pallantis Acetes
Seruabat senior, qui Parrhasio Euandro
Armiger ante fuit, sed non felicibus aeque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.

Sic ipse Aeneas Caietae nutricis alumnus fuit, potentior hic, illa humilior. Hoc autem alumnorum genus nihil ad eam legem pertinet. Domini seruorum quoque fidei liberos suos alendos committebant. Ne hoc quidem

genus

genus ad rem. Nascebantur ex ancillis propriis apud dominos serui, ijque Vernae vocabantur. ex ijs, si quos dominus specialiter aleret, neque inter ceteros tolli, educariq. in seruorum grege, ac multitudine pateretur, Alumnos suos appellabat; quasi dixeris vernas, & peculiares seruos. quamquam non ignoro, peculiarem seruum dici, qui in filij quasi peculio sit. De hoc Alumnorum genere lex nostra loquitur. Alumnos item Acron apud Horatiũ Ode 18. lib. 3. pro vernis sumi, auctor est. Vernulas enim interpretatur, quos Horatius paruos alumnos dixerat, quibusq. dominus timebat. Quare Horatius precatur Faunum, qui infantibus infensus credebatur, ne paruis alumnis, idest seruis infantibus noceat. Ecce tibi Altor dominus, Alumnus seruus. Seruilis ergo notae alumnus censendus. Interdum tamen eueniebat, vt alumnus manu mitteretur, & e seruo liber fieret. neque certe ob eam rem alumni nomen aboleretur, sed retinebatur, statu mutato, ad indicandum, quo is loco apud dominum fuisset. *Est e regione Hospitij peregrinorum Trinitatis elegantibus incisum litteris marmor antiquitatis refertissimum, quod huc spectat.*

M. LIVIVS. AVG. L. SECVNDIO
ACCENSVS. DRVSI. CAESARIS
ET. ALVMNVS
M. LIVIVS. M. F. POL. MACEDONIC. F
IVLIA. TERTVLLA. VXOR
M. LIVIVS. M. L. PROSPER

Eundem Libertum, & Alumnum legimus, ex eo videlicet libertorum genere, qui, cum in seruitute nati essent, gratiores tamen, acceptioresq. dominis, vel dominorum filijs essent. Secũdionem seruum Drusus Caesar, Ti. Augusti filius, sibi educauerat. eundemq. postea manumissum a Ti. Aug. patre, libertumq. Augusti dictum, Accensum esse suum voluit. Accensi autem erant liberti, qui magi-

magistratibus apparebant, ac praesto erant.

Est & alia inscriptio apud Alberinos.

AVIDIO . SPARTACO
PATRONA
ALVMNO
B . M .
P . Q .

Cum lapidibus faciunt digestorum libri.l.liberto suo, §.largius de annuis legatis. *Pecuniam,* inquit apud Scaeuo lã testator, *quam Titio liberto meo, & alumno legaui, esse volo penes Publium Maeuium vsque ad vigesimum quinctum annũ aetatis eius, proq. ea computari cum eo vsuras quadrãtes.* Vernas quoque non seruos, sed libertos, in veteribus monumentis reperio. E vernis scilicet seruis libertos factos dixeris.

In Colle Hortulorum, siue Monte Pincio, in hortis, quos magnificentissime exstruxit, atque instruxit Regio sumptu, statuisque, tabulis, & inscriptionibus antiquis exornauit clarissimus antiquitatis vindex, Ferdinandus, Magnus Etruriae Dux.

SECVRITATI
COGNATIONIS . SVAE
FORTVNATVS . AVG . L .
VERNA . PATERNVS
AB . EPISTVLIS
ACCENSVS . PATRON

DIVO . AVG . VESPASIANO
LICTOR . CVRIAT
VIAT . HONOR . DEC . COS . ET . PR .
ET . SIBI . ET
EPAPHRODITO . AVG . L
AB . EPISTVLIS . FRATRI . SVO

Cum hoc consentit lapidis inscriptio, a nobis in Capitolio descripta. vnde feminam feminae libertam, eandem & vernam intelliges.

DIIS

DIIS. MANIBVS
IVLIAE. ↄ. LIB. HELPIDIS
VIXIT. ANNOS. XVI
MENS. VIIII. DIES. DVOS
IVLIA. IRENA. FECIT
VERNAE. SVAE. CARISSIMAE
BENEMERENTI. ET. SIBI. SVIS
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
EORVM

Et apud Fusconios:

DIIS. MANIBVS
N. SATRI
AVGVSTALIS
SATRIA
NYMPHE
VERNAE. SVO
CARISSIMO
VIXIT. ANN. XXII
M. I. DIEBVS. IIII

Libertum fuisse Augustalem, non autem seruum, intelligo, quem Satriae gentis nomine, & Numerij praenomine auctum video. N. Numerium significat.

Ad rem quoque facit lapis in hortis olim Carp.

D. M.
Q. VOLVSIO. AVGVSTALI
VIXIT. ANN. XI. D. XXI.
Q. VOLVSIVS. DEXTER
VERNAE. SVO

Vernam hoc loco non seruum, sed libertum, dixeris. Cui enim praenomen, & familiae Romanae nomen adiungitur, Liber, & Ciuis Romanus sit, necesse est. Quod vero sequitur, in dubio esse potest, num de seruo, an de liberto dicatur:

VE-

EVHEMERO
CAESARIS.N
VERNAE.PEDI
SEQVO.VIXIT
ANNIS.XXIII.MENS
IBVS.VIII.DIEBVS
V.AELIA.SVCCESSA
MATER.FILIO.BENE
MERENTI.FECIT

Libertum potius puto, cuius mater ex gentilicio nomine libera cognoscitur, quiq. tum matris commendatione, tum suis meritis facile libertatem ab indulgentissimo Principe impetrare potuit. Neque solum Vernarum, Alūnorumque vocabula ad libertos extendi, sed etiam seruorum appellatione in ipsa libertate retentam video.

DIS.MANIBVS.DEXTRI
CAESARIS.SERVO.DI
AETARCHO.DOMVS
AVG.TREBONIA.LAV
DICE.FEC.CONIVG.B.M
CVM.DVABVS.FILIS.FOR
TVNATA.ET.FELICE

Seruus dicitur, quem libertum esse cōstat. coniux enim seruo non erat, sed contubernalis, neque ex libera seruus liberos suscepisse dicebatur. liberam autem eius vxorem fuisse, ex eo cognoscimus, quod nomini proprio peregrino, familiae nomen Romanae praeponitur Trebonia Laudice.

DIS.MANIBVS
FLAVIAE.ATHENAIDI
APOLLONIVS
IMP.DOMITIANI.AVG.
GERM.SER.PECVL.ET
FLAVIA.PALLAS.PARENTES

FILIAE. CARISSIMAE. FECER
VIXIT. MENSIBVS. VIII. DIEBVS. XXVI

Seruum peculiarem imperatoris, non qui seruus eo tẽpore esset, sed qui olim eius loci fuisset, dictum puto. Papin. Statius Earinum Domitiani Libertum in praefatione libri tertij Siluarum his verbis nominat: *Earinus praeterea, Germanici Dei nostri libertus*. Eundem Caesaris seruum in Coma dicit: *Quos tibi Caesareus donat puer*. Caesareum puerum Caesaris seruum interpretor, nõ qui seruus re ipsa sit, sed qui fuerit antequam manumitteretur. Huc accedit, quod non libertinae tantum condicionis homines, sed plane ingenui seruos se Imp. Domitiani profitebantur, quod ille Dominum se, Deumque ab omnibus dici praecepisset. auctor Suetonius.

Apud Caesios.

FLAVIA. AVG. L. DORIS
FECIT. SIBI. ET
IDEO. CAESARIS. N. SER
CONIVGI. SVO. ET
EPAPHRODITO. FIL
LIBERTIS. LIBERTABVSQ
EORVM

Et apud Fusconios.

QVINTILIA. DONATA
FECIT. SIBI. ET. CONIVGI
SVO. ACMAZONTI
CAESARIS. NOSTRI. SERVO
ET. DAPHNICO. FILIO. HVIVS
QVI. VIXIT. ANN. XVII. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERIQVE
EORVM

Et

Et in templo S. Mariæ de Monte Serrato.

FORTVNATVS
CAESARIS. SER
NICOMACHIANVS
PATER. ET
SEXTILIA . PRIMA
MATER . FILIAE
PIISSIMAE. FECERVNT
ET . SIBI . ET
MOSCHINI. CONLACT
VIXIT. ANNIS. XV . MENS. IIX

Illud obiter hoc loco notandum est, in nomine Nicomachianus litteram illam inuersam, siue dimidiatam, ⊣ adspirationis esse notam, pro integra H, quae ad MOSCHINI nomen adhibita est. Huius notae confirmandae gratia libet proferre *inscriptionis exemplum ex aedibus Hieronymi Pici a nobis desumptum.*

STATAE. FORTVNAE. AVG
SACR.
SEX. FONTEIVS. Ↄ. L. ROPHIMVS
CN. POMPEIVS. CN. L. NICEPHOR
MAG. VICI
SANDALIARI. REG
IIII. ANNI. XVIII
D. D

Ex ijs, quae a nobis allata sunt, constare arbitror, *Alumnos* esse quicumq. alerentur, non autem qui alerent, siue liberi, siue serui, siue potentiores, siue tenuiores. Nunc videndum est, an recte Accursius *Alumnos* filios interprete-

tur. Dicam libere. Accursio impositum grammatici. vnde ille didicit, *Alumnos* esse interdum nutritores, interdum filios. Seruius ad illum Vergilij versum lib. Aen. sexto,

Nec non & Tition terrae omnipotentis alumnum, Terrae alumnum Tition a terra enutritum, & terrae filium dicit, *secundum varias de Titij matre opiniones: ac Vergilium sermone, quo vtrumq. significaret, vsum esse scriptum reliquit.* Ego, quamquã Poetis summam in verbis licentiam esse sciam, censeo tamen apud Vergilium proprietatis amatorẽ proprie *Alumnum* pro alto, atque a terra educato, nõ autem pro filio, positum. Tition enim, Iouis, & Florae filium, a terra nutrice, non parente, enutritum, fabulantur Poetae.

Petrus Victorius libro Variarum lectionum vigesimo tertio, apud Nonium pro Filia *Alumnam* a Varrone dictã putat: cum Eumenidibus inquit:

Et ecce de improuiso ad nos accedit cana veritas,
Atticae philosophiae alumna, &c.

Ego vero Atticam philosophiam veritatis non parentem, sed nutricem existimo. nam veritas, vndecumque orta, ab Attica Philosophia nutritur. Quis enim dixerit solis Athenis philosophorum praecepta veritatem enixa? Num sine philosophia verum quis non loquitur? num mendaces omnes homines, praeter Atticos? Alit quidem philosophia veritatem, non gignit. Sic Cicero *Ciuitatis bene constitutae alumnam eloquentiam*: sic Tacitus *licentiae alumnam notabilem eloquentiam* dixit, quae aleretur, atque enutriretur. Ceterum, qui fieri potuit, vt Accursius, qui omnes fere leges euoluit, excusit, contulit, hoc scripserit? Ego in Iuris Ciuilis, qui exstant, libris non inueni *Alumnos* neque pro nutritoribus, neque pro filiis acceptos. Immo ne loco quidem filiorum *Alumnos* fuisse, diserrime sancitum est. l. si quis alumnam. C. de nuptiis, *Si quis* inquit Imperator *alumnam suam libertate donauerit, &*

in

in matrimonio suo collocauerit, dubitabatur apud antiquos, vtrum ne huiusmodi nuptiae legitimae esse videantur, an non. Nos itaque, vetustam antiquitatem decidentes, non esse vetitum matrimonium censemus. Quid igitur Accursius somniauit, *Alumnos* esse ex concubina filios? Num patri cum filia naturali Imperator Christianus matrimonium legitimum esse statuit? Apage nugas istas nefarias. & *Alumnos* interdum seruos, interdum liberos fuisse, referriq. ad altores, educatoresq. concludamus: vt sint haec distincta, Alumnus Altor, siue Nutritor.

Apud Delphinos sic legi.

D . M
M . AVRELIO . AVG
LIB . ISIDORO . MEL
LO . PROXIMO . ARATIO
NIBVS . AVRELII . HER
MES . ALVMNVS . ET . GLY
CON . NVTRITOR . ET
MAXIMVS . BENE
MERENTI . FE
CERVNT

Et l. xiij. ff. de manumissis vindicta: *Si collactaneus, si educator, si paedagogus ipsius, si nutrix, vel filius, filia ve cuius eorum, vel alumnus.* Iam vero, pro seruis, quos Dominus educasset, supra citatis legibus ostendimus, eosdemq. manumissos, & liberos factos, *Alumnos* tamen appellatos docuimus. vt l. legem, C. de pact. *Legem*, inquit Imp. Alexander, *quam dixisti, cum dote pro alumna dares, seruari oportet, &c.* Et l. 14. ff. de manum. vind. *Alumnos magis*, inquit Martianus

nus, *mulieribus est conueniens manumittere, sed & in viris receptum est: satisq. est permitti eum manumitti, in quo nutriendo pro pensiorem animum fecerint.* l. Codicillis, §. qui Sempronian, ff. de vsu, & vsufr. leg. *Qui Sempronian*, inquit Scaeuola, *ex parte decima, & Maeuiam ex parte decima alumnum ex reliquis partibus instituerat heredes, curatorem alumno dedit, cum iure facere putaret, & curatoris fidei commisit, ne pateretur fundum venire. sed cum Sempronia, & Maeuia nutricibus suis frueretur reditu eius, & in ima parte testamenti ita adiecit, omnem voluntatem meam fidei heredum meorum committo. Quaesitum est, an tertia pars vsusfructus fundi nutrices ex fidei commisso petere possint, quamuis curator ei receptus sit, quem iure dare non potuit alumno. Respondi, secundum ea, quae proponerentur, vtiliter fideicommisso voluntatem suam confirmasse. Idigitur cuique dedisse, vt & nutrices vna cum alumno reditu fundi vterentur.* Apertum, manifestumq. esse iam credo, *Alumnos* seruos fuisse, quos dominus penes se natos speciali affectu aleret, eosdemque, cum visum esset, libertate donaret, legatis insuper prosequeretur, ac fidei suorum commendaret, si quis id aetatis esset, vt aliena tuitione egeret. l. a filio, ff. de alimentis, & lib. leg. *Maeuio infanti alumno meo quadraginta dari volo, quae peto a te suscipias Seia, & vsuras ei quincunces in annum vsque vigesimum aetatis praestes, eumq. suscipias, & tuearis.* Iucundum vero, atque in primis elegans Angeli Colotij epigramma, neque omnino ab hac nostra de *Alumnae, Altricisque* vocabulis disputatione alienum videtur, quod pari memoria, pronunciandiq. suauitate mihi Fuluius Vrsinus, vir singulari ingenio, iudicio, eruditione, ac virtute, recitauit.

Sunnascentem hederam trabeati in colle Quirini
Nutrierat densis quercus opaca comis:
Nunc, quia, victa aeuo, viduata est frondibus arbos,
Pro merito altricem vestit alumna suum.

FINIS.

Scriptio haec viri eruditiſs. Ioſephi Caſtalionis nihil continet fidei aut moribus aduerſum. ac proinde cenſeo illam imprimi poſſe. Ex aedibus. 19. Nouemb. 1593.

M. A. Maffa.

Imprimatur.

F. P. Ioannes Caragoça Magiſter, & ſocius Reuerendiſsimi Magiſtri Sacri Palatij.

Imprimatur.

M. Antonius Vicesgerens.

IOSEPHI

CASTALIONIS

IVRISCONSVLTI

Ad l. Vsufructuarius, de Vsufr. Commentariolus.

RVDES *parietes* qui vocentur, & quid *Tectorium* sit, non recte per Glossam explicatum videtur in l. Vsufructuarius, de vsufr. Nam *Rudes* pro nouis, *Tectorium* pro tecto perperam accipitur, ibi, *Vsufructuarius nouum Tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest.* Glossae error errandi ansam alijs, opinor, praebuit, in §. His igitur Inst. de iust. & iur. in verbo *Rudem animum*. Ego vero *Rudes parietes* interpretor non dum expolitos, non tectorio obductos, non loricatos, non conuestitos. tales dicuntur hodie vulgari sermone *Ricciati:* quorum pleriq. veteres cum sint, rudes tamen adhuc conspiciuntur. Quis enim non intelligit, apud Neratium cautum esse, incrustationem parietibus, quibus numquam fuisset, vsufructuario inducere non licere, cum ei, si quid inde vetusta-

te corruisset, reponere permissum esset. *Rudes* enim I. C. *parietes* dixit, non quod essent noui, & recentes, sed nudi, horridi, hirti, & non exornati. Hinc ducta metaphora, hominum animi, quantumuis prouectae aetatis, qui nulla disciplina exculti, nulla doctrina, & institutione imbuti sunt, *Rudes* appellantur. *Tectorium* autem non esse tectum, sed parietis illinimentum, siue incrustationem, inde facile percipi potest, quod l. Hactenus, de vsufr. Celsus ait, *Vsufructuarium posse non solum necessarias refectiones, sed etiam voluptatis caussa, vt tectoria, & pauimenta, facere.* & l. quod si seruus, §. 1. de in rem verso. vbi diserte Vlpianus *Tectorium* in his recenset, quae ad voluptatem magis, quam ad vtilitatem, spectant. quod de tecto ad imbres, caeliq. iniuriam suimmouendam comparato non est dicendum. Tectum enim nemo est, qui non numeret in rebus vtilibus, & necessariis. Ceterum Tectorij multas fuisse species, eiusque conficiendi rationem, apud Vitruuium libro de Architectura septimo capite tertio est legere. Tanta vero fuit tectorij apud antiquos crassitudo, & duritia, vt idem Vitruuius dicat, e veteribus parietibus crustas excidi in mensularum, & speculorum vsum solitas esse. Hinc est, quod eximi tectorium a creditore posse Vlpianus, dicit. d. l. Quod si seruus, his verbis: *Pati debet dominus creditorem hoc auferre sine domus suae videlicet iniuria, ne cogendus sit dominus vendere domum, vt, quanto pretiosior facta est, id praestet.* Et Celsus l. in fundo alieno, de rei vend. *Sufficiat tibi permitti tollere ex his rebus, quae possis, dum ita ne deterior sit fundus, quam si initio non foret aedificatum. Censuimus vero, vt, si paratus sit dominus tantum dare, quantum habiturus esset possessor his rebus ablatis, fiat ei potestas. Neque enim malitijs indulgendum est, si tectorium, puta quod induxerat, pictu rasq. corradere velit, nihil laturus, nisi vt officiat.*

AD

AD. LEGEM. CXXXI

DE. VERB. SIG.

Commentariolus.

QVam esset illud loquendi genus apertum, & tritum, quod apud optimum quemq. Latinitatis auctorem legitur, *Ante diem decimum Kalendarum*, pro eo quod efferri cōcisius solet, Decimo Kalēdas, vel ex Paulli interpretatione facile intelligi potest. is enim libro tertio ad legem Iuliam, & Papiam, ex sermonis consuetudine, veluti illustriori quodam, & magis noto exemplo verbum paullo obscurius declarat. Quaerebatur porro, an, qui extremo anni die mortuus esset, *Anniculus amissus*, id est, an exegisse annum videretur: & erat qui rem in dubium reuocaret, contenderetq. eum omnino Anniculum dici oportere, qui anno circumacto, eo ipso, quo natus esset, die obijsset. Paullus longe aliter controuersiam decidendam arbitratus, *Anniculum* interpretatus est, non qui ipso recurrentis annni natali, sed qui nouissimo anni die, hoc est (vt idem paullo infra exponit) tricentesimo sexagesimoquinto die decessisset. Quo autem Iuris consultus sententiam suam recepto, & minime ambiguo dicendi more confirmaret, ita scriptum reliquit, vt esse in Pandectis Florentinis testatus est Antonius Augustinus, vir vndecumque doctissimus, libro Emendationū quarto, capite sexto. *Anniculus amittitur, qui extremo anni die moritur. & consuetudo loquendi, ita esse, declarat, Ante diem decimum Kalendarum, Post diem decimum Kalendarum. Neutro enim sermone Vndecim dies significantur.* Huius legis sen-

tentia ea mihi videtur, non esse natalis diei recursum exspectandum, vt quis Anniculus dicatur, quemadmodum nec significari vndecimum praecedentis mensis a Kalendis. exempli gratia, Ianuarij: cum decimus ante diem decimum Kalendar. Ianuariar. sed decimum ipsum a Kalendis Ian. qui est vicesimus tertius dies Decembris.

Item non intelligi vndecimum Ianuarij diem, sed decimum ipsum, quando sic loquimur, Post diem decimum Kalendarum. Dies enim Kalendarum, & dies decimus intra numerum accipiuntur: estq. plenior loquendi modus, quam si pronuntietur Decimo Kalendas per compendium. Nam integra elocutio esset Decimo die ante, vel post Kalendas. id quod multis ac magnis auctoribus possem docere, nisi recitandis exemplis abstinere decreuissem. vnico tantum vtar testimonio quinctae epistolae Cic. ad Tironem. *Nos apud Alyxiam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, vnum diem commorati sumus, quod Quinctus nos consecutus non erat. is dies fuit Non. Nouemb. inde ante lucem proficiscentes ante diem octauum idus Nouembris has litteras dedimus.* Plane, vt hoc quoque obiter adnotemus, in pleriscque Ciceronis, atque adeo veterum omnium scriptis, pro Ante diem tertium, & quartum, Ad tertium, & quartum corrupte legi, a doctis indicatum est viris. Huiusmodi autem passim erratum facile deprehendet, qui ex duabus dictionibus litteris singularibus sic notatis A. D. quae ante diem significant, Ad praepositionē ab ignaro librario temere conflatam cognouerit. Esse autem hūc locum Pandectarum in vulgatis mendosum, in quibus sic legitur, *Vtroque sermone vndecima dies significatur*, illud indicio est, quod malam hanc litteram appellat Accursius. Mala autem littera apud doctores nostros accipitur pro textu corrupto. bona vero littera pro lectione germana, & non vitiata, vt ex Bartoli verbis colligitur in l. hoc articulo, de hered. instituend. *Et est*, inquit, *aduertendum, quod*

quidam

quidam habent hic Quisque, & ista est bona littera; Alij habent hic Quisquis, & ista non est bona. Haec ille. Quod si Petrus Rebuffus diligentius expēdisset, ac rectius intellexisset, numquam profecto in illo suo ad tit. de verbor. signification. libro Antonij Augustini correctionem, & sententiam repudiasset. equidem Augustino assentior, & Rebuffi opiniones reiciendas censeo.

QVI SIT EQVVS DEXTER QVI SINISTER

In Agitatione & Bigarum certamine.

Turnebus reprehensus.

Adrianus Turnebus libro Aduersariorum XIV. cap. XXIV. ad illud Horat. Sat. v. lib. secund.

Vis ne tegam spurco Damae latus,

vel, vt in manuscriptis legitur, *Vt ne tegam*, Ouidij sententiam assecutus non videtur: qui *Exterior*, pro *Interior*, reposuerit. Nam, quod Ouidius seni dederat, ille ad iuuenem rettulit. Cum senectuti Poeta plurimum semper tributum fuisse, senioresq. a iunioribus summo cultu, obseruantiaq. affectos testaretur, Fastorum quarto sic extulit:

Et medius iuuenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior, si comes vnus erat.

ideſt: Si cum duobus, pluribusve senex iunioribus progrederetur, in medium recipiebatur: si vero cum vno tantum comite natu minore incederet, interior erat senior, eiusq. latus a iuniore officij causſa tegebatur. Grauius etiã peccant, qui *Anterior*, legunt: vt sit, secũdum eos, sensus, praeire, ac praecedere grandiores natu, iuniores subsequi honoris gratia consueſſe. Quid hoc ineptius dici potest, inter duos vna, & pari passu ambulare senem, vni vero additum antecedere? Sed redeo ad Turnebum. *Tegere latus* interpretatur esſe, latus siniſtrum eius, qui potentior sit, claudere: & eiusdem Satyrae versum explicans,

Ne comes exterior, si poſtulet, ire recuſes.

exte-

exteriorem enim,qui ad laeuam sit, & sinistrae locum, vt hodie Romae quoque receptum est, inferioris esse opinatur. Addit praeterea nonnulla, opinionis suae confirmandae gratia.quae omnino falsa sunt.: dextrae videlicet maiorem esse habilitatem, & agilitatem, quam laeuae, nosq. facilius in dextram,quam in sinistram conuertere solere; flexumq. ad metam dextrum esse interiorem, exteriorem sinistrum: totam denique agitandi rationem peruertit. Nam,vbi ad metam flectebatur, breuior quidē gyrus erat interior,longior autē exterior: sed interior *Laeuus*, exterior *Dexter* dicebatur. quod non vidit Turnebus,qui sic scripsit: *Ita dexter qui erat interiore flectebat gyro, vt laeuus exteriore. Sed & equus sinisterior ampliorem lustrabat orbem,quam dexterior.* Haec ille. quae longe aliter dicta sunt,quam in vsu res ipsa fuerit,& litterarum monumētis prodita. Apud Homerum ιλιαδ ψ. Antilochum filium Nestor monet,vt in curiculi agitatione equum dextrum inciter,sinistrum vero metae circumducat.

ἀτὰρ τὸν δέξιον ἵππον
Κένσαι ὁμοκλήσας εἶξαί τε οἱ ἡνία χερσὶν·
Ἐν νύσσῃ δὲ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω.

quod sic Latinis versibus sumus complexi:

Quadrupedis ferias dextri sed verbere dorsum
Vociferans,laxasq. immittas pronus habenas,
Ad metae vero laeuus tibi saxa propinquet.

Silius lib.xvi.de bello secundo Punico ludis funebribus:

Non vmquam effusum sinuabit deuius axem,
Sed laeuo interior stringebat tramite metam.

Papinius Statius Thebaidos vi.ludis item funebribus:

Sperauit flexae circum compendia metae
Interius ductis Phoebeius augur habenis
Anticipare viam,nec non & Thessalus heros
Spe propiore calet,dum non cohibente magistro
Spargitur in gyros,dexterq. exerrat Arion.

Ver-

Vergilius Aeneidos lib.v.

Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum:
Litus ama: & laeuas stringat sine palmula cautes.
Altum alij teneant, &c.

Et paullo post:

Ille inter nauemq. Gyae scopulosq. sonantes
Radit iter laeuum interior: subitusq. priorem
Praeterit; & metis tenet aequora tuta relictis.

Hic de nauali certamine, illi de bigarum agitatione prae clare scripserunt. Tegebat autem, opinor, latus alterius, non qui ad sinistram, sed ad dextram esset. itaque inferioris, & humilioris amici erat ad dexteram locus. qui mos hodie quoque in plerisq. tamen exteris nationibus seruatur. vt pleraq. antiqua Populi Romani instituta in prouinciis transmarinis, & transalpinis resederũt. Apud Turcas certe sinistrae locus honoratior est; dextrae nõ item. Quod multis argumentis viri doctissimi Bellarminus, & Baronius, post Chassaneum asserunt. Neque verum est, quod ibidem Turnebus dixit, *eum, qui in acie nobis ad laeuã adstat, scuto latus sinistrum protegere.* Nam, qui ad dexteram nobis est, & clypeo nos laeuo inserto brachio tegere, & stricto dextera ense defendere facillime potest. Neque motus, flexusq. in dextrã facilior agiliorq. vmquam est habitus, sed multo nos facilius in laeuam conuertimus: quod bene periti architecti in scalarum flexu obseruant. Haec ego non accusandi Turnebi studio notaui, sed ne quem tanti viri auctoritas in errorem induceret. Multa doctissime Turnebus vir eruditissimus scripsit, quaedam minus recte ad grauiora properanti exciderunt.

AN

AN. BRITANNOS VICERIT. AVGVSTVS.

Horati, & Suetoni loci collati.

BRitannis non solum bellum intulisse Augustum, sed de ijs etiam triumphasse, ex ijs, quae infra scripta sunt, est cognoscere. Seruius, enarrans versus illos in 3. Georg. apud Verg.

Et duo rapta manu diuerso ex hoste trophaea,
Bisq. triumphatos vtroq. ab litore gentes.

Occidentis, inquit, *propter Britannorum Triumphum.* Idem paullo supra, ad illum, *Purpurea intexti tollant aulaea Britanni. Nam Augustus, postquam vicit Britanniam, plurimos de captiuis, quos adduxerat, donauit ad officia theatralia.* Christophorus Landinus in Oden 35, lib. 7. Horat. secutus Seruium, *Defecit*, inquit, *Britannia post mortem Iulij, quam Caesa. recuperauit. ergo & de Parthis, &c. & de Britannis triumphauit, &c.* Vtq. haec parui roboris sint, possunt tamen grauissimis ipsius Horatij sententijs niti. Is lib. 1. Ode 35. sic precatus est Fortunam:

Serues iturum Caesarem in vltimos
Orbis Britannos, & iuuenum recens
Examen Eois timendum
Partibus, Oceanoq. Rubro.

Et lib. 3. Od. 5. aperte confirmat Britannos ab Augusto subactos, his carminibus:

Caelo tonantem credidimus Iouem
Regnare, praesens diuus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio grauibusq. Persis.

Quem locum explicans Landinus, inquit, *Ex ijs, quae proueniunt a Ioue, illum regnare credimus, nusquam tamen videmus. Augustum autem praesentem intuemur, deumq. cognoscimus ex immortalibus beneficijs in nos collatis, cum & Britãnos, & Parthos superauerit.* Coniunxit autem & lib. 1. carm. ode 21. Horatius has duas nationes, quae P.R. erant infestae antequam ab Augusto essent domitae. Horatius ad Apollinem:

Pestemq. a populo & Principe Caesare in
Persas, atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Sed hi, & quos subscripsi, versus sunt compositi ante expeditionem. Epod. od. 7.

Intactus aut Britannus vt descenderet
Sacra catenatus via, &c.

Quare ex ijs necessario sequitur, vt Augustus non bello solum persecutus sit Britannos, sed vero etiam domuerit. Id quod Laeuinus Torrentius vir doctissimus negat in Suetoni Claudio, ad illum locum, *Britanniam potissimum elegit, neque tentatam vlli post Diuum Iulium, et tunc tumultuantem ob non redditos transfugas.* Horatium autem ea de Britannica expeditione & victoria dixisse opinatur Torrentius, quae non re vera fuerint, sed quae ipse Poeta futura crediderit. Suetoni locus de mendo suspectus esse potest. nam in altero meo antiquo non *Tentatam*, sed *Depredatam* est legere. praeter quam quod Strabo lib. 4. aperte narrat, *suo tempore Britannorum legatos Augusto Caesari, Populoq. Romano vniuersam fere Insulam propriam, familiaremq. instruxisse.* Polyd. Virg. Anglicae Historiae lib. 5.

CVR

CVR HADRIATICVM MARE AESTVOSVM.

Vaesitum est, cur ab Horatio in mari Hadriatico foediores, quam alibi, tempestates excitari dicantur. Ego, quid sentiam, paucis exponam. Primum nego apud Horatium esse scriptum expresse, Hadriam praeter cetera maria saeuire: quamuis ex subiectis locis & tẽpestuosum esse, & aestus maximos vento in primis Austro flante commouere, facile intelligam. Ode 3. lib. 1.

——nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere, seu ponere vult freta.

Ode 14. lib. 2.

Fractisq. rauci fluctibus Hadriae.

Ode 3. lib. 3.

——neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriae.

Ode 9. lib. 3.

——& improbo
Iracundior Hadria.

Ode 27. lib. 3.

——ego quid sit ater
Hadriae noui sinus, & quid albus
Peccet Iapix.
Hostium vxores, pueriq. caecos
Sentiant motus Orientis Austri, &
Aequoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.

Deinde, vt demus, ex ijs locis colligi, quod in quaestione positum est, & vtamur philosophorum aliqua ratione, dico, in mari Hadriatico atras, & saeuas tempestates excitari truculentius, propterea quod arcte, & anguste conclusus est is sinus. id quod in fretis propter angustias accidere ignorat nemo. Illud sane frigidum est, non esse Hadriam re vera adeo violentum, sed videri solitum Romanis, qui in prouincias, addo etiam in Graeciam studiorū causa ex Italia nauibus transmittebantur. Quid enim respondebimus nostri temporis hominibus, qui frequenter quidem, sed summo cum periculo vitae, & fortunarum, eo mari vtuntur? Quid Graecis, & ijs, qui, ante quam Romanorum arma transmarinis cognita essent, valde Hadriam formidabant? Aeschines quidem certe, cum in mores Demosthenis inueheretur vehementius, inquit, illum ita difficilem, durum, morosum, atque inconstantem fuisse, vt cum Hadria satius fuerit, quam cum illo negotium habere. Haec sunt, quae de proposita quaestione habui dicere.

NVM

NVM. VETERIBVS INSIGNIA. FVERINT

Collati Illustrium Poetarum loci.

QVaerebatur apud amicũ meum, num veteribus Insignia fuissent: cumq. ipse forte interessem, dixissemque, multa esse apud Latinos Poetas huius rei exempla, vnumq. ex Ouidio de Thesei agnitione exstare dixissem, subinde amicus meus, longe aliter a Plutarcho rem exponi, dixit, quippe qui cultello super mensa ad carnes appositas incidendas districto ab Aegeo patre Theseum filium agnitũ scripserit, neque de insignibus in cultello inscalptis mentionem fecerit. eaq. tantum filij indicia esse voluerit, quae Pater apud Matrem grauidam calceos silicet, & cultellum sub cauo lapide reliquerat. Ego vero, digressus domum, Ouidium sumpsi. reperi, vt dixerã, libro Metamorphoseos septimo sic scriptum:

Agrestes Aconita vocant. ea coniugis astu
Ipse parens Aegeus nato porrexit, vt hosti.
Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra,
Cum Pater in capulo gladij cognouit eburno
Signa sui generis, facinusq. excussit ab ore.

Vergilius libro septimo nonnulla militum in Clypeis expressa signa explicat, his versibus:

Pulcher Auentinus: clypeoq. insigne paternum
Centum Angues, cinctamq. gerit serpentibus Hydram.

Et infra:

Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est.

Cui

Cui triplici crinita iuba galea alta Chimaeram
Sustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignes.
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.
At leuem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam setis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,
Caelataq. amnem fundens Pater Inachus vrna.

Valerius Flaccus lib. sexto Argonaut.

Cuncta phalanx insigne Iouis, caelataq. gestat,
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes.
Nec primus, radios miles Romane, coruscí
Fulminis, & rutilas scutis diffuderis alas.
Insuper auratos collegerat ipse Dracones,
Matris orae specimen, linguisq. aduersus vterque
Congruit, & tereti serpens dat vulnera gemmae.

Et paullo infra:

Hos super erectam Phalces agit aequore nubem
Cum fremitu, densiq. leuant vexilla coralli,
Barbaricae quis signa rotae, ferrataq. dorso
Forma suum, truncaeq. Iouis simulacra columnae.

Claudianus in Consulatum Probini, & Olybrij, de Romae Clypeo:

Flaua cruentarum praetenditur vmbra iubarum:
Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte:
Hic patrius Mauortis amor, fetusq. notantur
Romulei: post amnis inest, & bellua nutrix;
Electio Tiberis, Pueri formantur in auro:
Tingunt aera Lupam, Mauors adamante coruscat.

VER-

VERGILI. LOCVS COLLATIONE. ALIQVOT POETARVM. EXPLICATVS

Seruius reprehensus.

REctius omnino quotquot ex veterib. Vergilium imitati sunt Poetae Vergili sensa assecuti sunt, quam qui Commentarios in illum scripserunt. Seruius quidem alioqui erudissimus labitur in explicatione Aeneid. 1. ad illum locum,

——*veribusq. trementia figunt.*
Litore aena locant alij:

Aena locant, inquit, *quibus vtebantur non ad elixandas carnes, sed ad se lauandos. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa.* Haec ille. quae quam vera sint, ex ijs, quae infra subiiciemus, apparet.

Ouidius libro Metamorphoseos primo:

Atq. ita semineces partim feruentibus artus
Mollit aquis, partim subiecto torruit igni.

Valerius Flaccus lib. Arg. octauo:

Mox epulas, & sacra parant siluestria laeti
Praemia venatu facili quaesita superfunt.
Pars verubus, pars vndanti despumat aheno.

Seneca in Thyeste, actu 4.

Haec verubus haerent viscera, & lentis data
Stillant caminis: illa flammatus latex
Quaerente aheno iactat.

Iuue-

Iuuenalis Satyra XV.

——nec ardenti decoxit aheno,
Aut verubus.

Claudianus libro in Eutropium secundo:

Quas figat verubus partes, quae frusta calenti
Mandet aquae.

VERGILI. ET. STATI

LOCI. COLLATI

DIligentissimus Vergili obseruator, & imitator Papinius Statius exstitit. id quod & ipse testatus est libro Siluarum quarto ad Marcellum:

——tenues ignauo pollice chordas
Pulso, Maroneiq. sedens in margine templi,
Sumo animum, & magni tumulis accanto magistri.

Quare mirandum non est, si ad magistri imaginem carmen suum plerumq. format. Quis non voluptate perfunditur summa, cum libro Thebaidos primo conuiuium Vergilianum, & Regium cultum expressum videt?

——adolere focos, epulasq. recentes
Instaurare iubet. dictis parere ministri
Certatim accelerant. vario strepit icta tumultu
Regia, pars ostro tenues, auroq. sonantes
Emunire toros, altosq. inferre tapetas.
Pars teretes leuare manu, ac disponere mensas.
Ast alij tenebras, & opacam vincere noctem
Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis.

Reliqua hic, ne longum faciam, supersedeo describere. Ea si conferet harum rerum studiosus cum Vergiliana cena, quam Aeneae Didò exhibuit, operam nō ludet. Veram enim imitandi rationem percipiet.

VERGILI. LOCVS A. STATIO. EXPRESSVS

PApinius item Statius luculenter Vergilianum illud expreſſit, quod libro Aeneidos ſecundo legitur:

——*neque enim reſponſa dabantur*
Fida ſatis.

Sic enim libro Thebaidos ſecundo ille:

——*nec reddita contra*
Vox, fidamq. negant ſuſpecta ſilentia pacem.

INFRENIS. QVID. SIT

Aduerſus Seruium, & Donatum.

NAle Seruius interpretatur apud Vergiliũ libro decimo vocem *Infrenis*, ad illum verſum,

Illum infrenis equi lapſu tellure iacentem.

Infrenem enim, eſſe aſperrimũ, dicit. Nos vero *Infrenem*, ſiue *Infrenum*, dictum contẽdimus, quod nullo regeretur freno. Peſſime autem Donatus ad illud lib. Aeneid. iv.

Et Numidae infreni cingunt.

Infrenos enim, indomitos eſſe, comminiſcitur. Optime omnino Silius Italicus, orator, & poeta clariſſimus, quiq. Latinae linguae vim, proprietatẽq. optime callebat, l. 1.

Hic paſsim exſultant Numidae, gens inſcia freni,
Queis inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.

Et lib. ſecundo:

——*nullaq. leuis Getulus habena.*

OLYM-

OLYMPI. APVD. VERGILIVM RECTE. SCRIPTVM

Reiectae multorum castigationes. Patrius Casus per simplicem tertiam vocalem in soluta quoq. oratione contra Prisciani sententiam scribendus.

PRimus decimi Aeneidos libri versus multorum ingenia multũ exercuit: variatũq. in lectione & sensu duarum vocũ postremarum fuisse inuenio. Nam fuere, qui nõ *Omnipotentis*, sed *Omnipatentis*, quod caelũ ab omni parte pateat, vel potius *Omniparentis*, nec defuerunt, qui *Omnipotentis*, quod Iouis epitheton est, reponendum censuerint; sed pro *Olympi* substantiuo adiectiuum substituerint, & ad *Domum* rettulerint, vt esset, *Domus Olympia*. quorum omniũ sententias, atq. opiniones subuertit doctissimus L. Caecilius Minucianus. Is libello de Orthographia hac de re sic scriptum reliquit:

Olympius appellatur Iuppiter. Ennius:

Decesit Olympius.

Vergilius:

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Domitius Marsus inter cognomina Iouis ponit Olympius.

Naeuius:

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Haec Caecilius.

Hinc factum videtur, quamobrẽ in manuscriptis libris sit,

Omnipotentis Olympi.

Cum enim Olympius, Iouis cognomen sit, & Domus Olympi, ideſt Iouis domus a Vergilio dicatur, recte *Omnipotentis* epitheton adiunctum est. Quod tamen non vi-

 derunt

derunt pleriq. doctiſſimi viri. Neque eſt, quod Olympi, patrio caſu, per ſimplicem tertiam vocalem, non autē per geminam, hoc modo, Olympij, negotiū faceſſat. Frequentior enim eſt eius vſus apud optimum quemq. Latinitatis auctorem, quam nos recenſere poſsimus. Verg. Ecloga 1.

Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.

Et:

Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen.

Et libro Aeneidos primo:

Hic tamen ille Vrbem Pataui, ſedesq. locauit
Teucrorum, Pro, *Peculij, Tugurij, Patauij.*

Hortenſi, pro, Hortenſij. Lucanus lib. 2.

Pulſatae ſonuere fores: quas ſancta relicto
Hortenſi maerens irrupit Marcia buſto.

Terenti, pro, Terentij. Horatius Sat. l. 1. Sat. 2.

——pater ille, Terenti, &c.

Et Carm. primo, Od. 29.

Libros Panaeti, Socraticam & domum.

Pro, Panaetij. Quod multis in locis factitauit. lib. j. Sat. 5.

Inde forum Appi.

Et Epiſt. lib. 1. epiſt. 6.

Porticus Agrippae, & Via te conſpexerit Appi.

Et ibidem, epiſt. 18.

Brundiſium Numici melius Via ducat, an Appi.

Et Epiſt. lib. 2. epiſt. 9.

Septimius Claudi nimirum intelligit Vnus.

Et ibidem, epiſt. 12.

Cantaber Agrippae, Claudi Virtute Neronis
Armenius cecidit. Appi, Claudi; pro, Appij, Claudij.

Priſcianus libro ſeptimo fatetur quidem, veteres poetas ſubtrahere ſolitos alteram in genitiuis geminantibus tertiam vocalem. vt Verg. Georg. quarto:

Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudijs florentem ignobilis oti.

Sed

Sed id metri cauſſa factum adiungit. Ego vero nec vlla carminis neceſſitate factam eiuſmodi vocalis abiectionē dixerim . nam in ſoluta oratione idem factitatum . quod facile ijs probabo, qui oculos, mētemq. ad veteres inſcriptiones conuertunt.

I . O . M . D

PRO . SALVTE . AVGG . NN
L . SEPTIMI . SEVERI . PII
PERTINACIS . ET . M
AVRELI . ANTONINI . PII
FELICIS . AVG . ET
IVLIAE . AVG . ET . S . P . Q . R
SEMNVS . AVGG . NN . LIB . OPTIO
TABELLARIORVM . STATIONIS
MARMORVM . ARAM . POSVIT

Vides, Septimi, Aureli; pro, Septimij, Aurelii.

Apud Delphinios.

TI . CLAVDIVS
LEMNVS
DIVI . CLAVDI
AVGVSTI . LIB
A . STVDIIS

Ibidem:

STATI . CASSI . AELI
STATILI . eſt legere; pro, Statij, Caſſij, Aelij, & Statilij.

QVID

QVID . SIBI . VELIT ARATRVM . MVRIS . INDVCERE

Collatus Modestini I. C. locus cum Horatiano

ARatri in vrbes demolitas, ac diruta inductione, ius ciuitatis amissum significari, atque ex vrbe agrum factum, notum est. id quod a nostris Iurisconsultis diserte traditur. Modestinus l. Si vsusf. Quibus modis vsusf. amittatur. *Si vsus fructus*, inquit, *ciuitati legetur, & aratrum in eam inducatur, ciuitas esse desinit, vt Carthago passa est. Ideoq. quasi morte desinit habere vsumfructum.* Horatius vero libro Carminum primo, Ode 16. hoc ipsum tetigit:

Irae Thyesten exitio graui
Strauere, & altis vrbibus vltimae
Stetere causſae, cur perirent
Funditus, imprimeretq. muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

SIDERA . PRO . SINGVLIS . STELLIS

Aeger, pro Aegroto: reiecta quorundam scrupulosa proprietatis obseruatione.

AMicus meus, homo pereruditus, valde proprietatis amator, neque Sidera pro Stellis, neque Aegrum pro Aegroto Latine dici contendebat. Quod Sidus proprie sit plurium stellarum signum, & Aegritudo, vnde Aeger, ab Aegrotatione

ne multũ differat.haec enim cõporis eſt,illa vero ad animum pertinet. Quae quamquam ita ſint, & vere, atque erudite differantur, aliter tamen vſurpari paſsim video. Haec autem a me libere libenter vindicantur,quod Latinae linguae ſtudioſis conſultum volo, ne qua ſollicitudo, aut ſcrupulus ſcribentes torqueat, aut remoretur. Vergilius pro ſingulis ſtellis, non autem pro ſtellarum conuentu, libro Aeneidos quincto Sidera extuliſſe facile videtur:

——caelo ceu ſaepe refixa
Tranſcurrunt,crinemq. volantia ſidera ducunt.

Et libro ſecundo:

——& iam nox humida caelo
Precipitat: ſuadentq. cadentia ſidera ſomnos.

Non enim cum ipſa nocte Nauis, Anguis, Coruus, Orion,Erigone, & reliqua ſigna, ſed ſingulae ſtellae occidunt. Sexcentis prope locis Sidera à Vergilio,& Horatio large pro Stellis quibuſcumque accepta dixerim. Cicero Tuſculanis quaeſtionibus lib.v. *Cum ſidera viderit innumerabilia caelo inhaerentia cum ipſius mundi motu congruere certis infixa ſedibus, ſeptem alia ſuos quoq. tenere curſus, multum inter ſe aut altitudine,aut humilitate diſtantia.* Eodem ſenſu aliis in locis ab eodem Sidera efferuntur.

Aeger autem quamuis animo quis dicatur,& ab aegritudine non multum abſit, tamen, Aegrum ad corpus referri, ſæpe numero reperio. Cicero epiſt. ad Tironem decima: *Ne nauſeae moleſtiam ſuſcipias aeger.* Et epiſt. xi. *Caue feſtines, aut committas, vt aut aeger, aut hieme nauiges.* Et ad Atticum,libro ſexto:*Tiro ad te dediſſet litteras,niſi eum grauiter aegrum reliquiſſem.* De Natura Deorum, lib.2. *Ne aegri quidem omnes conualeſcunt.* Horatius Sat. quarta lib.i.

——auidos vicinum funus vt aegros
Exanimat,mortisq. metu ſibi parcere cogit.

Idem

Idem ad Vaalam:

——*vicus gemit inuidus aegris,*
Qui caput & stomachum supponere fontibus audent.

Et ad Pisones:

——*velut aegri somnia.*

Vergilius lib. Georg. III.

——*& quatit aegros*
Tussis anhela sues.

Lucretius lib. III.

Non alio pacto, quam si pes cum dolet aegri.

Idem lib. 2.

Quae non audierit mixtos vagitibus aegris.

Lib. III.

——*doloribus aegris.*

Et:

——*quod nimis aegris*
Luctibus indulges.

Hinc intelliges, licere pro arbitrio, & vt commodum est, modo praeponere, modo postponere adiectiua; & Aegrum, tum ad corpus, tum ad animum referri.

MATRIMONIA CVM FRATRVM VXORIBVS DAMNATA

Aegyptiorum, & Iudaeorum instituta super ea re Defensus Imp. Zeno. Connanus reprehensus.

IVre Pontificio quantumuis extincta affinitas prohibet matrimonium viri cum omnibus vxoris mortuae vsque ad quartum gradum, & item mulieris cum omnibus, qui virum suum defunctum ea proximitate attingebant. c. 1. de consang. & affin. *Tantum abest, Vxorem fratris mortui ducere vt nobis liceat.* c. vlt. de diuortiis. & l. fratris vxorem. C. de incest. quamuis id necesse esset fratri superstiti apud Iudaeos, facere, si frater eius liberos ex vxore sua non suscepisset. Deuteronomij cap. 25. vbi sic legitur: *Si simul habitauerint, mortuusq. fuerit alter eorum, ne nubat Vxor mortui alieno Viro foris, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.* & quae sequuntur. Hanc esse legem putat Connanus libro Iuris Ciuilis 18. cap. 5. quam Imp. Zeno Aegyptiis tribuit. l. licet quidam, C. de incestis nuptiis, qua fratrum vxores licet virgines ducendi facultas adimitur: ac Zenonem alucinatum esse ostendere conatur. Ego vero Principem prudentissimum non adeo in sua ditione peregrinum, neque adeo instituti Aegyptiorum imperitum puto, vt haec ignora-

rit. Nemo autem est, qui nesciat, alios esse Iudaeos, alios Aegyptios. neque est, quod quisquam obijciat, fuisse Iudaeos diu apud Aegyptios. nam eius rei apud Populum Romanum orbis terrarum dominum ratio non habebatur, qui Iudaeam, qui Aegyptum in prouinciae formã redactas, & discretas haberet. Illud sane constat, aliam fuisse legem Aegyptiorum ab ea, qua Iudaei vtebantur. Siquidem Imp. Zeno permissas Aegyptiis cum fratrum vxoribus matrimonio nondum consummato ciuibus Romanis ademit. Nam, quamuis corpore vxor mortui fratris cum eo numquam copulata esset, voluntate certe, & iure coniuncta videbatur. Iudaeorum vero lex vxorem fratris, cognitam quidem a defuncto, sed non grauidam, neque matrem factam, fratri superstiti ducendam dabat, vt ex ea ipse filium susciperet, qui fratris mortui & nomen referret, & filius diceretur. Quare Imp. Zenonem nulla in re halucinatum arbitror, qui Aegyptiorum institutum nominatim damnarat; quod apud eos liceret fratri fratris vxorem ducere, modo esset virgo, neque se cum altero fratre commiscuisset: cuius condicionis ratio Iudaeis non erat habenda.

LIBERTINI QVI

SVetonius Tranquillus in D. Claudio scriptum reliquit, *Libertinos antiquis reip. temporibus dictos fuisse, non eos ipsos, qui manumissi essent, sed eorum filios.* Quod nusquam apud bonos auctores reperio. Quare verius esse opinor, quod a plerisq. doctis viris receptum est, Libertos dici, cum ad Patronos referuntur, eosdem vero Libertinos appellari, cum ingenuis opponuntur, & condicionis libertinae homines significamus. Plautus Libertinam, non Libertam, quae vindicta manumissa esset, aperte ostendit in Milite glorioso:

Pyrgopol. *Quid? ea ingenua, en festuca facta, serua an libera est?*

Palaestrio *Vah, ego ne vt ad te ab libertina esse auderem internuntius.*

Donatus in Terentij Andriam, *Feci e seruo vt esses libertus mihi:*

Mihi, inquit, *ideo additum est, quia libertus ad aliquē dicitur.* Dionysius Lambinus ad illud Horat. Sat. vj. lib. 1.

Cum referre negas, quali sit quisq. parente
Natus, dum ingenuus.

Ingenuus, inquit, *erat Horatius, si ingenuus est is, cuius pater seruitutem non seruiuit. Nam antiquo iure ciuili Libertini a Libertis differebant. Cum Liberti sint serui manumissi; Libertini autem libertorum filij. quam distinctionem Imperatores sustulerunt.* Haec vt ita Lambinus differeret, Suetonij locus, opinor, effecit. Vnde autem didicerit, libertinorum, & libertorum discrimē ab Imperatoribus sublatum, ignoro; somniasse hominem puto. Plautus certe, qui longe ante liber-

tatem ab Imperatoribus oppressam vixit, nullam talem inter eiusmodi appellationes differentiam extitisse ostendit, cum libertinam eam ipsam nominat, quae patroni sui liberta erat. Equidem Liuius libro nono extremo, libertinorum filios ab Ap. Claudio Censore in senatum lectos prodit, sed libertorum filios fuisse libertinos non adscribit. Quod est apud Suetonium mendose, vt mea fert opinio, his verbis:

Latum Clauum Libertini filio tribuit. cuius rei reprehensionem verens, etiam Ap. Caecum Censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit. ignarus, temporibus Appij, & deinceps aliquãdiu, Libertinos dictos, non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Laeuinus autem Torrentius ad eum Suetonij locum multa erudite congessit. Verum duo ibi ab eo disputata sunt, quae mihi non probantur, primum ex libro de viris illustribus locum profert, eoq. mirum in modum innititur, neque locum, neque librum suspectum habet. deinde, credit, libertinae condicionis homines ab Appio in Senatum lectos; proindeq. lectionem eius infamem, & ignominiosam a Liuio dici, qui libro nono extremo, vt diximus, non libertinos, sed libertorum filios in Senatum legisse Appium, scriptum reliquit. quae ipsa Appij lectio infamis, & ignominiosa est habita. Nam libertinorum filij, quamquam ipsi ingenui, qui numquam seruitutem seruissent, dicerentur, & liberi nati non facti essent, inter obscuras, & viles personas numerabantur, quod non ex ingenuis essent orti parentibus. Libet hoc loco proferre legem septimam, C. de incestis & inutil. nuptiis, quae ad hanc rem mire facit, & tenuiorum dignitatem tuetur: *Humilem vel abiectam feminam minime iudicamus intelligi, quae, licet pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata sit. Vnde licere statuimus Senatoribus, & quibuscumq. amplissimis dignitatibus praeditis, ex ingenuis parentibus natas, quamuis pauperes, in matrimonium*

sibi

sibi accipere, nullamq. inter ingenuas, & opulentiores ex diuitijs, & opulentiore fortuna esse distantiam. Humiles vero, abiectasq. personas eas tantummodo mulieres esse censemus: ancillam, ancillae filiam; libertam, libertae filiam; scaenicam, scaenicae filiam; tabernariam, tabernarij, vel lenonis, aut arenarij filiam, aut eam, quae mercimonijs publicis praefuit. Ideoque huiusmodi inhibuisse nuptias Senatoribus harum feminarum, quas modo enumerauimus, aequum est. Torrentij verbà subijciam: *Sic enim auctor de viris illustribus: Ap. Claudius Caecus in Censura libertinos quoque in Senatum legit. quam ob caussã, vt puto, Liuius lib. IX. lectionem eius in Senatum infamem, & ignominiosam vocat. Ceterum, cum libertinos ille, Suetonius vero Libertinorum filios ab Appio in Senatum lectos scribit, Libertinos illic pro his qui libertini generis fuerunt, accipio: vt Libertinitas, & Ingenuitas, pro libertini, vel ingenui statu ponitur apud Sabinum, l. II. Si libertus ingenuus esse dicatur. alioqui sequeretur, Appium libertorum filios allegisse. quod Sueton. negat, & recte sane.*

DE. TRIBV. CAMILIA

EXTRA. XXXV. NVMERVM

PRaeter triginta quinque illas insigniores Tribus, reperiuntur aliquot aliarum nomina, quae diligenter Onuphrius Panuinius in libro Ciuitatis Romanae congessit. CAMILIAE vero nomen incertus est quo modo legendum sit in antiquis monumentis compendio litterarum notatum. Non enim absolute, & integre inscalptum est, sed vsque ad tertiam litteram, vel quinctam perductum, sic, CAM. CAMIL. Quare interpretatus est varie, CAMILLAM. CA-

CAMILLIAM. & CAMILLINAM. Nos sine vlla dubitatione vnico L. per octo litteras scribi oportere, ex inscriptione, cuius exemplum infra scriptũ est didicimus, hoc modo, CAMILIA. Is autem lapis Via Salaria nuper effossus apud Alexandrum Rondonum statuarium ad Montem Pincium visitur.

D . M
L . AVRELIVS . L . FIL
CAMILIA . FIRMVS
BAGENNIS . MIL . COH
XI . VRB . > . NIGRINI
VIX . ANN . XL . MIL . AN . XXI
TESTAMENTO . PON
IVSSIT

EX · CONSVLE
EX . QVAESTORE
QVI . VOCARENTVR

VArie a viris eruditissimis de his vocibus, Ex Consule, Ex Quaestore, Ex Praefecto, Ex Praetore, & id genus reliquis, disputatum est. Alciatus libro Dispunctionum quarto, capite tertio, in eam potius discedit, quam Mysingerus Institutionũ initio amplectitur, atque Ex Quaestore eundem esse putat, qui sine praepositionis adiectione Quaestor dictus est. idem etiam de ceteris dicendum censet. Quamquam incer-

incertus est,& parum constans. Ego, praeter P. Criniti opinionem,quae Alciato probatur, Auctores laudabo, quod vnum in Crinito Alciatus desiderat, grauissimoq. veterum Conciliorum testimonio ciusmodi appellationes perinde valere, ac si Consularem, Quaestorium, & Praetorium dicerem. quo modo olim, qui Consulatum, Quaesturam,& Praeturam gesserant, vocabantur. Nam, cum Imperatores ius Consularitatis,Praetoriatus,Quaestoriatus quibusdam dare coepissent,qui numquam illos magistratus gesserant, coeperunt ij, qui vere fuerant in magistratu, non iam amplius Consulares, aut Quaestorios se vocare:ita enim vocabantur etiã,quibus hoc Principali tantum beneficio tributum erat: sed Ex Consule, Ex Quaestore,& sic in ceteris. Scribendum autem,atque efferendũ sexto casu,vt Ex Cubiculariis, Ex Archiatris, & Ex Protectorijs,qui ijs muneribus fũcti sunt. quod Antonius Augustinus libro Emendationum tertio,capite tertio,erudite confirmat.Ex eo autem quod lib. XII. C.de Quaestoribus,l. vnica, initio habetur in libris impressis, *Qui ex Quaesturae honore*,putant nonnulli vnicam dictionẽ esse,auctã praepositione,per omnes casus,numerosq. variabilem: vt Quaesturae nomen, sine praepositione, Ex. Ego falli eos puto; ac duas orationis partes seiunctas esse,neque in vnam dictionem coalescere posse existimo; praepositionemque, Ex,pertinere non ad proximam vocem Quaesturae,sed ad alteram longius diffitam puto;vt sit,Ex honore Quaesturae:quod transpositionis genus elegans est, & Latinis consuetum. Praeterquam quod in manuscriptis libris est legere, sine vlla praepositionis adiectione,Quaesturae honore. Nunc ad testimonia veterũ Sanctorum Conciliorum venio, quibus confirmm, Ex-Consulibus, Ex Praetoribus, Ex Quaestoribus,fuisse dictos,qui eos honores gessissent,non qui gererent. quasi dixeris,non esse Consulem,sed Ex Consule,id est Ex Consulis

sulis honore,& imperio abiisse. Hoc autem ita esse,facile iudicabit,qui,cum duos tantum singulis annis Consules ordinarios fuisse norit,longe vero plures vno tempore in sacris Conciliis recenseri Ex Consulibus animaduertet. Illud adiungo,in ijsdem Conciliis Praefectos dici,qui Praefecturam gererent; Ex Praefectis autem, qui Praefectura functi essent;additumq. numerum,quotiens quis eum honorem gessisset;hoc modo,vt habetur in Actione prima Synodi Chalcedonensis,*Ex Praefecto Praetorij sexies*:Eius initium adscribam.

In Nomine Domini Nostri Iesu Christi, Consulatu pijssimi, & amatoris Christi Imperatoris Flauij Marciani perpetuo Augusti,& qui fuerit nuntiatus sub die octauo idus Octobris, indictione quarta,in Chalcedonensi ciuitate,Metropoli Prouinciae Bithyniae,facta est synodus ex decreto pijssimorum, & fidelissimorum Imperatorum Valentiani,& Marciani, congregatis in Ecclesia sanctae,ac triumphatricis Martyris Euphemiae gloriosissimis iudicibus,ideſt magnificentißimo, & glorioſissimo Magistro militum,& Ex Consule ordinario, ac Patricio Anatolio;& magnificentissimo,& glorioſissimo Praefecto sacrorum Praetoriorum Palladio;& magnificentissimo, & glorioſissimo Praefecto Vrbis Daciano;& magnificentißimo,& glorioſissimo Vincomalo;& magnificentissimo, & glorioſissimo Ex Magistro Martiali; & magnificentissimo Comite deuotissimorum domesticorum Sporatio;& magnificentissimo Comite rerum priuatarũ Genethlio. Appositis etiam ex glorioso Senatu, ideſt, magnificentissimo & glorioſissimo Ex Praefecto Praetorij sexies; & Ex Consule ordinario, ac Patricio Florentio; & magnificentissimo, & glorioſissimo Consule ordinario,& Patricio Senatore;& magnificentissimo, & glorioſissimo Ex Magistro officiorum,& Ex Consule ordinario, ac Patricio Nonio;& magnificentissimo, & glorioſissimo, Ex Praefecto,& Ex Consule Ordinario,ac Patricio Protegone, & magnificentissimo, & glorioſissimo, Ex Praefecto Vrbi Theodoro,& magnificentissimo,& glorioſissimo, Ex Praefecto

fecto Vrbi Apollonio; & magnificentissimo, & glorioſissimo, Ex Praepoſito ſacri Cubiculi Romano; & magnificentiſsimo, & glorioſiſsimo, Ex Praefecto Illyrici Theodoro; & magnificentiſsimo, & glorioſiſsimo, Ex Praefecto Praetoriorum Conſtantino; & magnificentiſsimo, & glorioſiſsimo, Ex Praepoſito Sacri Cubiculi Artaxerxe; & magnificentiſsimo, & glorioſiſsimo, Ex Praefecto Illyrici Eulogio.

Vides hic, recenſeri quinque Ex Conſulibus, ideſt Conſulares: quos ſi Conſules interpretaris, vno eodēq. tempore ſex Conſules ordinarij, ne ſuffectos putes, exſtitiſſe videbuntur. Nam Imperator Flauius Marcianus Conſulatum eo ipſo anno gerebat. Idem dicendum de Praefecto Vrbis, Praefecto Praetorij, Praefecto Illyrici, quos vno eodemq. tempore magiſtratus a pluribus geſtos abſurdum eſt fateri: plures autem vni tantum honores congeſtos eodem tempore, putidum eſt affirmare. Quare dicendum eſt, Ex Conſulibus, Ex Praetoribus, Ex Praefectis, Ex Quaeſtoribus, non eſſe Conſules, Praetores, Praefectos, Quaeſtores, ſed Conſulares, Praetorios, Praefectorios, & Quaeſtorios, ideſt, qui his magiſtratibus functi eſſent actu, & opere, ad differentiam eorum, qui honorarij dicebantur. quibus tantum Conſularia, & Praetoria ornamenta, non autem Conſulatus & Praetura, beneficio Principis conceſſa eſſent. Vides item hic, Palladium, Praefectum Praetoriorum, & Tatianum, Praefectum Vrbis, qui Praefecturas gererent; Florentium autem, Ex Praefecto Praetorij, & Conſtantinum, Ex Praefecto Praetoriorum; & Theodorum, Ex Praefecto Vrbis; & Apollonium item, Ex Praefecto Vrbis; qui Praefecturis eiuſmodi functi eſſent. Plura qui volet, ex reliquis eiuſdem Synodi Actionibus petet. Plura item in Conſtantinopolitani Concilij Actionibus habentur, quae ad

hanc rem pertinent. Non posse autem haec nomina per casus flecti, sed praelatae praepositioni sexto casu tantum seruire, argumento est lapis apud Glorierios, ad laeuam exesus, quem punctis, notato litterarum, quae desiderantur, numero, supplctum excudendum curauimus.

D. D. N. N. FL. VALENTINIANO. ET. GRATIANO
R A T O R I B V S . S V I S

CEIONIVS . RVFIVS . VOLV . . SI
ANVS . V . C . ET . INLVSTR . . IS
EX . VICARIO . ASIE . ET . CEIO
NI . RVFI . VOLVSIANI . V . C .
ET . INLVSTRIS . EX . PREFECTO . . PRE
TORIO . ET . EX . PREFECTO . VR . . BIS
ET . CECINE . LOLLIANE . CLAR . . ISSI
ME . ET . INLVSTRIS . FEMIN . . . E
DEAE . ISIDIS . SACERDOTIS . FI . . LIVS
ITERATO . VIGINTI . ANNIS . EX . P . . ERCEP
TIS . TAVROBOLIIS . VI . ARAM . CONSTITV . . IT
ET . CONSECRAVIT . X . KAL . IVN . D . N . VA . . LEN
TINIANO . AVG . ET . NEOTERIO . C . . . ONSS

GRA-

GRATES · AGI RECTE . DICVNTVR

TRIVOLA sunt pleraq. de differentiis, & proprietate sermonis, quae circumferuntur. Illud in primis falsum est, quod dicitur, inter Grates, & Gratias hoc interesse, quod Grates referimus, Gratias agimus. Nullum enim discrimen harum vocum apud veteres animaduerti. Ouidius certe Agendi verbo Grates coniunxit, in Ibin:

Huic igitur meritas grates, vtcumque licebit,
Pro tam mansueto pectore semper agam.

Cicero de Somnio Scipionis: *Et grates* inquit *tibi ago, summe Sol, vobisq. reliqui Caelites*. Liuius lib.x. *Laeti, atque alacres, Dijs, Populoq. Romano grates agunt*.

Vergilius lib. Aeneid. primo Persoluendi, idest, referendi verbo adiunxit:

——grates persoluere dignas
Non opis est nostrae.

Quemadmodum autem Gratias Agere, & Referre; sic Grates Agere, Persoluere, & Referre, Latine dicimus. Quod si quid interesse quispiam velit, Grates vel carminis necessitati, vel antiquitatis honori concedi, libentius dixerim.

SOLSTITIVM SIVE SOLSTITIA

numero multitudinis, pro Aestiuo tantum.

Vergili locus illustratus.

MVLTOS, linguae Latinae ignoratione, in magnos errores incidisse, animaduerti. Mirari autem satis non possum, quamobrem viri quidã bene docti, & in litteris exercitati, quorũ certe famae detractum nolim, aliter omnino, quam sententia postulet, Vergili versus Georgicorum libro primo interpretentur:

Humida solstitia, atque hiemes optate serenas,
Agricolae. hiberno laetissima puluere farra.
Laetus ager.

Non enim defuere, qui, dum se Astrologos ostentarẽt, ridicula quaedam ad eum locum, libris editis, tradiderunt: duo esse Solstitia, aestiuum alterum, alterum hiemale. de vtroque Vergilium sensisse, pluuiamq. ijs tum aestate, tum hieme aliaq. id genus monstra.

Longe vero aliter exponendum esse Vergili locum, optimae Latinae linguae auctores ostendunt. Solstitium enim pro Aestate, cui Hiems opponitur, ab ipso Vergilio vsurpatum est, Ecloga septima:

Muscosi fontes, & somno mollior herba,
Et quae vos rara viridis tegit arbutus vmbra:
Solstitium pecori defendite: iam venit aestas
Torrida: iam laeto turgent in palmite gemmae.

Lucretius lib. quinto & ipse pro Solstitio aestiuo, vt

isti

isti loquuntur, accepit:

Nec ratio Solis simplex, nec certa patescit,
Quo pacto aestiuis e partibus Aegocerotis
Brumaleis adeat flexus, atque inde reuertens
Canceris vt metas vertat se ad solstitialeis.

Ouidius lib. 1. de Ponto, eleg. 4.

Longa dies citior brumali sidere, noxq.
Tardior hiberna solstitialis erit.

Antequam, inquit Ouidius, ex Attici memoria mutua beniuolentia effluat, aestiuus dies, qui longiss. est, breuior fiet hiemali; & nox solstitialis, id est aestiua, quae breuissima est, productior hiemali fiet. Idem lib. Fastorum sexto:

At, si non esset potus, dixisset eadem
Venturum tempus solstitiale die.

Horatius lib. Epistolar. primo, ad Bullatium:

Incolumi Rhodos, & Mitylene pulcra facit, quod
Paenula solstitio, campestre niualibus auris.

Solstitio, idest, per aestatem: cui opposuit, *Niualibus auris*, idest per hiemem. Brumam porro solstitio opponi, ex ipso Cicerone intelligimus; qui libro de natura deorum secundo sic scriptum reliquit: *Solis accessus, discessusq. solstitijs, brumisq. cognoscitur.* M. Varro aperte eandem rem explicat lib. de lingua Latina quinto, his verbis: *Alter motus Solis est, alter caeli, quod mouetur a Bruma ad Solstitium. Dicta Bruma, quod breuissimus dies est; Solstitium, quod Sol eo die sistere videatur; aut quod Sol ad nos versum proximum est Solstitium. Cum venit in medium spatium inter brumam, & solstitium, quod dies aequus sit, ac nox; Aequinoctium dictum.* Ex ijs igitur constat, a maioribus seruatū religiose, quod a minoribus deprauatū est. nam apud bonos Latinitatis auctores Solstitij nomen Solstitium aestiuum dumtaxat significat. Vergili autem sententia ea est: adulto vere, qui proxime aestatem attingit, pluuiam frugibus necessariam esse

esse, vnde dantur. Per brumam vero, & hiemem, serenitatem conducere. Macrobius lib. Saturnalium quinto, cap. 20. hos versus enarrat; & carmen rusticum antiquum profert:

Hiberno puluere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.

PECVNIA IN NOMINIBVS OCCVPATA

ideſt mutuo data, vel ad nomina facienda deſtinata, noſtra non eſt.

Ciceronis, & Iuriſconſultorum loci comparati.

SVbtilis Kalendarij ratio quibuſdam, & ob id obſcurior videtur: Kalendarij autem nomen hoc loco interpretor tabulas, ſeu librum foeneratorum, quo in libro eorum nomina ſcribebantur, quibus pecunia ferebatur expenſa, & mutuo data. At, quoniam plerumq. Kalendis collocabantur nummi, Kalendarium eiuſmodi librum appellarunt. Horatius de laudibus vitae ruſticae, exigendorum, faciendorumq. nominum tempora eleganter tetigit:

Haec vbi locutus foenerator Alfius,
Iam iam futurus ruſticus,
Omnem relegit idibus pecuniam,
Quaerit Kalendis ponere.

Quod autem dixeram Kalendarij rationem obſcuriorem, eo ſpectat, quod Cicero in Topicis de Loco ex differentia

rentia sic scriptum reliquit: *Non, si vxori vir legauit omne argentum, quod suum esset, iccirco, quae in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt, in arca ne positum sit argentum, an in tabulis debeatur.* Ad eum locum Seuerinus Boetius optime disputat: *legato genere, videlicet excepta differentia, legatas esse species tantum, argenti autem species esse signatum, non signatum, differentias vero seu qualitates pecuniae in possessione positae vel non positae, excepta, legato non contineri propter illud pronomen adiectum, quod suum esset. nummi enim in nominibus, siue mutui dati, in possessione eius, qui dedit, non videntur, si quidem ea mutui vis est, vt quod mutuum datur accipientis fiat.* Huc accedit, quod non solum nomina, & crediti nummi excepti videntur, sed vero etiam quidquid argenti ad Kalendarium & nomina facienda dumtaxat destinatum in arca sit, vel a debitoribus exactum, vel aliunde redactum. Qua de re copiose eleganterq. a nostris Iurisconsultis differitur. Scaeuola l. vxorem, §. legauerat. de leg. & fideicomm. *Legauerat* inquit *per fideicommissum Maeuius, ita: Quidquid in patria Gadibus possideo. &c. Item quaesitum est, Kalendarij. quod in patria sua, vel intra fines eius defunctus exercuit, instrumenta in domo, quam in patria sua habebat, reliquit, an id quoque Kalendarium propter verba suprascripta Maeuiis, ex causa fideicommissi deberetur. Respondi, non deberi. Item quaesitum est, an pecunia, quae in arca domi Gadibus inuenta esset, vel ex diuersis nominibus exacta, & ibi deposita, ex fideicommisso debeatur. Respondi, supra responsum esse.* Et Africanus l. qui filium, eodem: *Qui filium, & nepotem heredem instituerat, certa praedia, quaeque in his mortis tempore sua essent, nepoti per fideicommissum dederat, excepto Kalendario. Mortis tempore in ea arca, in qua instrumenta, & cautiones debitorum erant, pecunia numerata inuenta est. plerisq. videbatur vix vero simile esse, vt testator de pecunia numerata sensisset. Ego autem illud dignum animaduersione existimabam: cum quis Kalendarium praestari alicui voluerit, vtrum*

nomi-

nomina dumtaxat debitorum praestari voluisse intelligendus sit, an vero etiam pecuniam, si qua ab his exacta, eidem tamen Kalendario destinata fuerit. Et magis puto, quemadmodum si exactae pecuniae, & rursus collocatae essent, permutatio nominum non perimeret, vel minueret fideicommissum: ita ipsas quoque pecunias, si adhuc Kalendario, idest nominibus faciendis destinatae essent, eidem fideicommisso cedere debere. Quinetiam illud quoque putem defendi posse; vt non modo a debitoribus exactae pecuniae, sed quacumq. de causa redactae, eidem tamen rationi destinatae, fideicommisso cedant. Celsus praeterea ex ipsa antiquitate petitam aliam eius rei rationem affert, l. si chorus eodem. *Quae, ibi,* inquit, *mobilia mea erunt, do, lego, nummos ibi repositos, vt mutui darentur, non esse legatos, Proculus, ait. at eos, quos praesidij caussa repositos habet, (vt quibusdam bellis ciuilibus factitassent) eos legato contineri, & saepe audisse se rusticos senes ita dicentes, Pecuniam sine peculio fragilem esse, Peculium appellantes, quod praesidij caussa reponeretur.* Ex iis igitur grauissimorum auctorum locis facile intelligimus, hoc nos iure vti, vt ea tantum nostra sint, quae possidemus; Pecuniam autem mutuam collocatam, siue etiam in eum vsum comparatam, nostram non esse. Proinde, cum quis, quod suum est, legat, non videtur instrumenta, & cautiones debitorum legare, aut etiam pecuniam ad foenus destinatam, vt olim fiebat.

LVSTRVM
QVINQVE. ANNORVM SPATIVM

Horati locus illustratus.

VIdeo a nonnullis Lustri nomen, cum annorum spatium significat, pro quattuor dũtaxat annis accipi, quamuis quincto quoque anno Vrbem lustrari, Ciuitatem censeri, ac Lustrum condi fateãtur. eorum autem opinio inde fluxit, quod, peracto quadriennio, ineunte quincto anno, censum peragi putarent. Quare faciendum mihi esse duxi, vt, quae inter legẽdum auctorum loca notarim, in medium proferam. Statius lib. Siluarum 2. de Surrentino Polli:

Huc me post patrij laetum quinquennia lustri.

Et lib 3. ad Claudiam vxorem, quam vel ipsa Penelope castiorem dicit, quae viginti annos Vlysse marito caruit:

——& si ego met patrio de littore raptus
Quatuor emeritis per bella, per aequora, lustris
Errarem, tu mille procos intacta fugares,
Non intertextas commenta retexere telas,
Sed sine fraude palam, thalamosq. armata negasses.

Martialis libro primo de Demetrio puero amanuensi, aegrotante, ac moriente, manúmisso: quod epigramma, propter summam elegantiam, & antiquitatis notitiam, totum adscribere libuit:

Illa manus quondam studiorum fida meorum,
Et felix dominis, notaq. Caesaribus.
Destituit primos Virides Demetrius annos,
Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet Vmbras,

Vreret implicitum cum scelerata lues,
Canimus, & domini ius omne remisimus aegro,
Munere dignus erat conualuisse meo.
Sensit deficiens sua praemia, meq. patronum.
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

Quid hoc apertius? cum quarta messis, ideſt quartus annus tribus luſtris addi dicatur, continuò ſequitur, Luſtrum non ex quattuor annis, vt iſti volunt, conſtare. Praeterea, ſi quadriennio Luſtrum abſolueretur, nõ tria luſtra, ſed quattuor dici debuiſſent aetatis Demetri, qui deceſſit tertio exacto luſtro, & quarti luſtri quarto anno, ideſt vnde vigeſimo, ſiue decimo nono aetatis anno. Eſt autem hoc dicendi genus perelegans, ac Poetis in deſcribendis annis perfamiliare. Horatius libro Carminum ſecundo, Ode quarta:

Cuius octauum trepidauit aetas,
Claudere luſtrum.

Quadrageſimum aetatis annum Horatius exegiſſe ſe ſignificat. Et libro quarto, ode prima:

Circa luſtra decem flectere mollibus
Iam durum Imperijs.

Annum agebat quinquageſimum. Quod Ouidius in Ibin dixit:

Tempus ad hoc luſtris bis iam mihi quinq. peractis.

Idem libro Faſtor. ſecundo, de puero quinctum decimum annum agente:

Iam tria luſtra puer furto conceptus agebat.

Ad quem locum interpres inepte hac de re diſputat. Sed & Horatij locus eſt in Carmine ſaeculari:

Si Palatinas videt aequus arces,
Remq. Romanam, Latiumq. felix,
Alterum in luſtrum, meliuſq. ſemper
Proroget aeuum.

Ad quem locum interpretes Luſtrum improprie pro ſae-

saeculo sumi scripserunt. Ego vero Horatium proprie locutum censeo, & de quinquennio proxime futuro, non autem de centesimo anno sollicitum fuisse.

Nam singulis lustris, idest quinquenniis vota pro Reipublicae incolumitate concipiebantur. Qua de re sic Suetonius in Augusto: *Mors quoque eius, de qua dehinc dicam, diuinitasq. post mortem, euidentissimis ostentis praecognita est. Cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, Aquila eum saepius circumuolauit; transgressaq. in vicinam aedem super nomen Agrippae, ad primam litteram sedit. quo animaduerso, vota, quae in proximum lustrum, suscipi mos est, collegã suum Tiberium nuncupare iussit. Nam se, quamquam conscriptis, paratisq. iam tabulis, negauit susceptura, quae non esset soluturus.* Haec Suetonius. Huc accedit, quod, vt tradit Dio, eo ipso anno saeculari, qui erat vrbis conditae DCCXXXVI, finito decennio, in quinquennium Reipublicae constituẽdae potestatem accepit Augustus: cui eadem mox in alterum quinquennium decreta est: ac rursus in decẽnium. quo more vsi sunt in Republica administranda, qui secuti sunt, Imperatores. Quare in veteribus monumentis Vota Quinquennalia, Decennalia, & Vicennalia, & Tricennalia leguntur, quae primo, secundo, & tertio decennio imperij soluebantur. Est in hortis Farnesianis Palatinis marmor, cum victimis, & inscriptione:

CAESARVM
DECENNALIA
FELICITER

Et in Arcu Imp. Constantini:

VOTIS. X VOTIS. XX

VERSVS . OBELISCI . CONSTANTINIANI ALIQVOT . LOCIS . ILLVSTRATI

Metallum pro marmoris fodinis.

IN basi Obeliſci,quem e Circo Maximo effoſſum ante Baſilicam Lateranam Sixtus V. Pontifex Maximus ſtatuit,complures erant inſcalpti verſus, quibus Imperatoris Conſtantij donum ſignificabatur. Eos verſus a nobis deſcriptos,cum erueretur baſis, noſtris libris inſerendos,ac poſteris tranſmittẽdos curauimus, quando ea baſis confracta in alios vſus conceſsit.

Patris.opus . munusq. ſuum.tibi.Roma.dicauit
Auguſtus.toto. Conſtantius. Orbe.recepto
Et.quod.nulla.tulit.tellus.nec.uideras.aetas
Condidit.ut. claris.exaequet.dona.triumfis
Hoc.decus. ornatum.genitor.cognominis.urbis
Eſſe.uolens. caeſa. Thebis.de.rupe.reuellit
Sed . grauior.Diuum tangebat.cura . uehendi
Quod. nullo. ingenio.niſuq. manuq. moueri
Cacuaſeam.molem.diſcurrens fama.moneret
At.dominus.mundi.Conſtantius omnia.fretus
Cedere.uirtuti.terris. incedere.iuſsit
Haut.partem.exiguam.montis.pontoq.tumenti
Credidit.&.placido.uecta.eſt.uelocius.Euro
Litus.ad.Heſperium. populo. mirante. carinam
Interea.Romam.taetro.uaſtante.tyranno
Auguſti iacuit.donum. ſtudiumq. locandi
Non.faſtu.ſpreti.ſed.quod.non.crederet.ullus
Tantae.molis.opus.ſuperas.conſurgere.in.auras

Nunc

Nunc.ueluti rurſus.rufis.auulſa.metallis
Emicuit.pelſatq.polos.haec. gloria dudum
Auctori.ſeruata.ſuo.cum.caede.tyranni
Redditur.atque.aditu.Romae.uirtute.reperto
Victor.ouans.Vrbisq. locat.ſublime.tropaeum
Principis.&.munus.condignis.uſque.triumfis.

Cognominis Vrbis. Conſtantinopolim ſignificat. Cognominis autem, ὁμώνυμος, ideſt, eiuſdem nominis. Vt apud Plautum: *Quid agunt duae germanae meretrices cognomines.* vocabantur enim Bacchides. Eiuſdem vero nominis Conſtantinopolim accipio, non quod Conſtantini nomen, ſed quod Vrbis Romae nomen referret. Nam Conſtantinopolis Noua Roma dicta eſt. Duae igitur Vrbes erant cognomines, ideſt eiuſdem nominis. Ad vitandam vero ambiguitatem, addebatur alteri, Noua Roma; alteri, Vetus, Senior, Antiqua Roma. Senioris, & Nouae mentio eſt in ſecunda cognitione Sancti Chalcedonenſis Concilij, his verbis: *Conueniente vero, & ſancto Concilio, & vniuerſali Concilio ſecundum ſacram Sanctionem in Chalcedonenſi ciuitate congregato, ideſt Paſchaſino, & Lucentio Reuerendiſsimis Epiſcopis, & Bonifacio Reuerendiſsimo Presbytero agentibus vices Sanctiſſimi; & Deo amatiſsimi Archiepiſcopi Senioris Romae ſancti Leonis, & Anatolio ſanctiſsimo Archiepiſcopo magni nominis Conſtantinopolitanae ciuitatis Nouae Romae.* Et libro XI. C. de priuilegiis Vrbis Conſtantinop.. *Vrbs* inquit *Conſtantinopolitana non ſolum iuris Italiae, ſed etiam ipſius Romae veteris praerogatiua laetetur.* Et l. intra, C. de operib. pub. *Intra vrbem Romam Veterem & Nouam nullus iudicum nouum opus informet.*

In verſu autem, *Interea Romam T A RO*, cum duae litterae fractomarmore deſiderarentur, fuerunt inductae P O, a viro non indocto, vulgatumq. impreſsis verſibus

TAPORO, vt Tyranni cognomen esset. quod Fuluio Vrsino viro litterarum cognitione praestantissimo, non satisfecit. itaq. loco illarū repositae sunt ab eo hae duae E, T, factumq. TAETRO, quo nihil aptius fieri potuit. Tantum enim abest, vt publicis priuatisq. monumentis Perduellium, damnatorūq. nomina mandarentur, vt inde abraderentur. Quod si victoria de hostibus a Senatu iudicatis esset incidenda, sine nomine hostis oppressi conscribebatur. Exprimebatur tamen verbis communibus Tyranni, & Tyrannidis factio oppressa, & extincta, adiecto etiam nomine ad Tyrannidem, Tyrannumq. detestandum idoneo, vt hoc loco factum est: *TAETRO Tyranno.* Est & in hortis Farnesianis Palatinis eiusdem temporis basis, quae huc pertinet:

RESTITVTORI . VRBIS . ROMAE . ADQVE . ORBIS
ET . EXTINCTORI . PESTIFERAE . TYRANNIDIS
D . N . FL . CONSTANTIO . VICTORI . AC . TRIVMFATORI
SEMPER . AVGVSTO
NERATIVS . CEREALIS . V . C . PRAEFECTVS . VRBI
VICE . SACRA . IVDICANS . D . N . M . QVE . EIVS

Et in Arcu Imperatoris Constantini:

IMP . CAES . FL . CONSTANTINO . MAXIMO
P . F . AVGVSTO . S . P . Q . R
QVOD . INSTINCTV . DIVINITATIS . MENTIS
MAGNITVDINE . CVM . EXERCITV . SVO
TAM . DE . TYRANNO . QVAM . DE . OMNI . EIVS
FACTIONE . VNO . TEMPORE . IVSTIS
REMPVBLICAM . VLTVS . EST . ARMIS
ARCVM . TRIVMPHIS . INSIGNEM . DICAVIT

LIBERATORI . VRBIS VOTIS . X

FVNDATORI . QVIETIS VOTIS XX

Illud quoque notandum est, quod sic inibi legitur:

—— *rufis auulsa metallis,*

Metalla esse hoc loco marmoris fodinas apparet. quo sensu apud Lucanum accipiuntur libro quarto:

Extrahitur, duris silicum lassata metallis.

Idem libro sexto:

Ingentes cautes, auulsaq. saxa metallis.

Papinius item Statius libro Siluarum primo, de balneo Etrusci:

Sola nitet flauis Nomadum decisa metallis.

Idem libro quarto, ad Marcellum:

An ne metalliferae repetit iam moenia Lunae.

Titulus etiam est libro XI. C. de metallariis, & metallis: vbi in prioribus legibus de metallico canone cautum est. In l. autem, Cuncti, *Metallum, saxorum venam* interpretantur Imperatores Gratianus, Valens, & Theodosius, his verbis: *Cuncti, qui per priuatorum loca saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, decimas fisco, decimas etiam domino repraesentent, cetero modo proprijs suis desiderijs vindicādo.*

PRAETOR TVTELARIS.

IVstinianus, dandi tutores ius penes Praetorem fuisse, ex Constitutionibus, ideſt ex Imperatorum placitis, scriptum reliquit, Instit. de Atilia no tutore, §. Sed ex his. Hunc autem Praetorem Tutelarem vocatum, & a M. Aurelio factum, scribit Iulius Capitolinus: *Praetorem* inquit *tutelarem primus fecit.*

cit, cum antea tutores a Consulibus poscerentur, vt diligentius de tutoribus tractaretur. Haec Capitolinus. Quod autem ad Consules id spectasse dicit, sic Suetonius in Claudio: *Sanxit, vt pupillis extra ordinem tutores a Consulibus darentur*. Ceterum ad Praetorem Tutelae cognitio, & Tutorum datio pertinebat. id quod ex l. 1. C. de Tutoribus, vel curat. illustr. cognoscitur. & ex l. 2. C. Quando mulier tutelae officio fungatur his verbis: *Accito Praetore, qui impertiendis tutoribus praesidet*. De Praetore Tutelari in antiquis inscriptionibus mentio est:

Ad Columnam Antonini:

POPVLONII
L. ARADIO. VAL. PROCVLO
AVGVRI
PONTIFICI. MAIORI
QVINDECEMVIRO. SACRIS. FACIVNDIS
PONTIFICI. FLAVIALI
PRAETORI. TVTELARI
LEGATO. PROPRAETORE. PROVINCIAE. NVMIDIAE
PERAEQVATORI. CENSVS. PROVINCIAE. GALLECIAE
PRAESIDI. PROVINCIAE. EVROPAE. ET. THRACIAE
CONSVLARI. PROVINCIAE. SICILIAE
COMITI. ORDINIS. SECVNDI
COMITI. ORDINIS. PRIMI
PROCONSVLI. PROVINCIAE. AFRICAE. VICE
SACRA. IVDICANTI. EIDEMQ. IVDICIO. SACRO
PER. PROVINCIAS. CONSVLAREM. ET
NVMIDIAM. BYZACIVM. AC. TRIPOLIM
ITEMQ. MAVRETANIAM. SITIFENSEM. ET
CAESARIENSEM

PER-

PERFVNCTO. OFFICIO. PRAEFECTVRÆ. PRAETORIO
COMITI. ITERVM. ORDINIS. PRIMI. INTRA
PALATIVM
PRAEFECTO. VRBI. VICE. SACRA. ITERVM
IVDICANTI
CONSVLI. ORDINARIO

HVIC. CORPVS. SVARIORVM. ET. CON
FECTVRARIORVM
AVCTORIBVS. PATRONIS. EX. AFFECTV. EIDEM
IVRE. DEBITO
STATVAM. PATRONO. DIGNO. PONENDAM
CENSVIT

Ad Forum Traiani:

AVCHENII
ANICIO. AVCHENIO. BASSO. V. C. QVAE
STORI. CANDIDATO
VNO. EODEMQVE. TEMPORE. PRAETORI
TVTELARI. PROCONSVLI
CAMPANIAE. PRAEFECTO. VRBI. TRINI
MAGISTRATVS
INSIGNIA. FACVNDIAE. ET. NATALIVM. SPE
CIOSA. LVCE. VIRTVTIS. ORNANTI. &

AVRELI . PRVDENTI

LOCVS . EMENDATVS.

LAtinus Viterbienſis, qui ſummo bonorum dolore proxime deceſsit, vir venerandae formae & doctrinae prope ſingularis ſemper eſt habitus. Is cum eſſet fere octogenarius, & per aetatem, neque domo, neq. lectulo commouere ſe poſſet, frequentes ad illum Viri bene docti confluebant: erat enim prope Ciuitatis Oraculum. Admiratione dignum videbatur, quod in ſumma ſenectute oculis caligantibus, effeto corpore, vigebat tamen in illo animus, mens, memoria, multa acute diſputabat, aliena ſcripta iudicabat, veterum libros corrigebat, & appoſite reſtituebat. Nihil mihi admirabilius viſum eſt, quam quod omnes fugiſſet, ac fefelliſſet in Prudentio, id ipſum poſt omnium librorum editiones, vidiſſe atque egregie emendaſſe. Sic enim legitur in praefatione libri primi aduerſus Symmachum:

Spes inſueta ſubit ſerpere flexibus,
Et vibrare ſagax eloquij caput:
Sed dextra impatiens vulneris, irritos
Oris rhetorici depulit halitus,
Effuſum ingenij virus inaniter
Summa Chriſticolis in cute ſubſtitit.

Nemo locum de mendo ſuſpectum habuit. Latinus hoc ſubodoratus eſt. & vnius litteræ ſecundae vocalis tranſpoſitione in verbo S P E S, nullo ibi plane ſenſu, locum illuſtrauit, hoc modo, S E P S. loquitur enim Prudentius de Serpente metaphoricos. Serpentis autem genus Seps, non Spes. Spei certe neque flexus corporis, neque capitis vibratio eſt. Seps autem mire in hunc locū ſerpit.

Lu-

Lucanus libro nono de hoc Serpente sic:

Ossaq. dissoluens cum corpore tabificus Seps.

Et Ausonius:

An Libyae ferale malum, sit Romula vox Seps.

Huiusmodi mendū in libros typis excusos e manuscri ptis emanauit. est enim in Bibliotheca Vaticana Prudē-tij mirae antiquitatis liber, quem Federicus Rainaldus, harum rerum, quam diu vixit, diligens indagator, emptū in Bibliotheca collocauit. Spes, tamen in eo legitur, men dose omnino.

ENNI. VERSVS
APVD. A. GELLIVM
EXPLICATI

Frustrari, & Frustra esse, quid.

M. Antonius Muretus laudatus.

MAgna mihi familiaritas, & cōsuetudo cum M. Antonio Mureto fuit; multumq. homi nis doctissimi vtebar eruditione. Nam, praeterquam quod publice profitentem summa cum ingenij, doctrinae, & eloquē-tiae gloria in Romana Academia quoti-die fere audiebam, antelucanis quoque horis domi ius Ciuile priuatim docenti operam dabam. Quare multa, quae praeclare dicta essent, raptim excipiebam. Eius ge-neris est, Q. ENNI versuum, qui apud A. Gellium sunt, explicatio. is enim libro XVIII. Cap. 2. sic scriptum

reliquit. Enarratio horum versuum, qui sunt in Satyris Q. ENNI vno multifariam verbo concinniter implicati, quorum exemplum hoc est:

Nam, qui lepide postulat alterum frustrari,
Quem frustratur, frustra eum dicit frustra esse:
Nam, qui sese frustrari quem frustra sentit,
Qui frustratur; is frustra est: si non ille est frustra.

Sic explicabat Muretus: Qui vult alium lepide fallere, dicere non debet errare, ac falli, eum, quem ipse fallere cogitat. Nam, vbi quis sentit frustra alium operam dare, vt se fallat, tum, nisi is, cui dolus tenditur, fallitur, is ipse frustra est, qui eum frustrari volebat. Frustrari, est fallere; Frustra esse, falli, ac decipi.

MORTALES
INVOCARI. A. POETIS
non esse insolens, aut nouum.

Armen, quod nuper quattuor Cardinalibus a Clemente VIII. Pontifice optimo Maximo cooptatis gratulabundus conscripsi, viro doctissimo legendum dederam, vt, si qua imprudenti mihi excidissent, libere admoneret. Quare candidi iudicis officio functus nonnulla adnotauit, quae de eius sententia libenter correxi. Vnum mihi persuadere non potuit, Inuocationem esse commutandam, quod Dij, non homines inuocari solerent. Respondi enim, habere me locupletes auctores, quorum exemplo id feciſſem. Nouum hoc ille plane sibi videri, dicebat; qui memoria non tenere

ret

ret mortalium inuocationes? Facturus igitur operae pretium mihi videor, si scribentibus aeque, ac iudicantibus rem gratam faciam, omnemq. ambiguitatem, ac scrupulum eximam; prolatisq. in medium testimonijs, non esse hoc nouum, atque insolens, sed a bonis Poetis frequenter vsurpatum, doceam. Papinius Statius Gallicum, de quo libro Siluarum primo scribit, his versibus inuocat:

Aspice nec Phœbum (quamquam mihi surda sine illo
Plectra) nec Aonias decima cum Pallade diuas,
Aut mitem Tegeae, Dircesue hortabor alumnum.
Ipse veni, viresq. nouas, animumq. ministra,
Qui caneris.

Sed Statius Ouidium imitatus est. quod facile cognoscet, qui vtriusq. locos conferet. Ouidius sane Germanicum Fastorum initio inuocat, his versibus:

Excipe pacato, Caesar Germanice, vultu
Hoc opus, & timidae dirige nauis iter.
Officioque, leuem non auersatus honorem,
Huic tibi deuoto, numine dexter ades.

Et infra:

Annue conanti per laudes ire tuorum,
Deq. meo pauidos excute corde metus.
Da mihi te placidum: dederis in carmina vires:
Ingenuum vultu statq. caditq. tuo.

Vterque vero Vergilium auctorem habuit, vnde mortales inuocandi rationem hanc didicerunt. is enim, Eclog. IIX.

Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timaui.

Mortalem sine controuersia inuocat.

Et libro Georgicor. secundo ad Maecenatem orationē conuertit, his versibus:

Tuq. ades, inceptumq. vna decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxima nostrae
Maecenas, pelagoq. volans da vela patenti.

Au-

Auguſtum quoque idem inuocauit, virum nondum immortalitate donatum, nondum Diuum, Georg. primo:

Tuq. adeo, quem mox, quae ſint habitura deorum
Concilia, incertum eſt, Vrbis nec inuiſere Caeſar,
Terrarumq. velis curam, & te maximus orbis
Auctorem frugum, tempeſtatumq. potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto:
An deus immenſi venias maris, ac tua nautae
Numina ſola colant; tibi ſeruiat vltima Thule;
Teq. ſibi generum Thetis emat omnibus vndis;
An ne nouum tardis ſidus te menſibus addas;
Qua locus Erigonen inter, Chelasq. ſequentes
Panditur; ipſe tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & caeli iuſta plus parte relinquit.
Quidquid eris, (nam te nec ſperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat iam dira cupido,
Quamuis Elyſios miretur Graecia campos;
Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem)
Da facilem curſum, atque audacib. annue coeptis,
Ignarosq. viae, mecum miſeratus agreſtes
Ingredere, & votis iam nunc aſſueſce vocari.

Quem locum omnes fere qui ſecuti ſunt Poëtae imitandum ſibi propoſuerunt. Lucanus Neronem inuocat:

——te, cum ſtatione peracta
Aſtra petes ſerus, praelati regia celi
Excipiat gaudente polo; ſeu ſceptra tenere,
Seu te flammiferos Phebi tranſcendere currus,
Telluremq. nihil mutato ſole timentem
Igne vago luſtrare iuuat: tibi numine ab omni
Cedetur: iuriq. tuo natura relinquet,
Quis Deus eſſe velis; vbi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo ſedem tibi legeris orbe:
Nec polus aduerſi calidus qua vergitur Auſtri,
Vnde tuam videas obliquo ſidere Romam.

Aethe-

Aetheris immenſi partem ſi preſſeris vnam,
Sentiet axis onus. librati pondera caeli
Orbe tene medio: pars aetheris illa ſereni
Tota vacet, nullaeq. obſtent a Caeſare nubes.
Tunc genus humanum poſitis ſibi conſulat armis,
Inq. vicem gens omnis amet: pax miſſa per orbem
Ferrea belligeri compeſcat limina Iani:
Sed mihi iam numen: nec, ſi te pectore vates
Accipiam, Cyrrhaea velim ſecreta mouentem
Sollicitare Deum, Bacchumq. auertere Nyſa.
Tu ſatis ad vires Romana in carmina dandas.

Manilius Auguſtum:

Nunc mihi tu, Caeſar, patriae princepsque, paterque;
Qui Regis Auguſtis parentem legibus Orbem,
Conceſſumq. patri mundum Deus ipſe mereris,
Das animum, viresq. facis ad tanta canendum.

Valerius Flaccus Veſpaſianum:

——Tuq. o, pelagi cui maior aperti
Fama, Chaledonius poſtquam tua carbaſa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos,
Eripe me populis, & habenti nubila terrae
Sancte Pater, veterumq. fane veneranda canenti
Facta virum, verſam proles tua pandit Idumen.
Namq. poteſt, Solymo nigrantem puluere fratrem,
Spargentemq. faces, & in omni turre furentem.
Illa tibi cultusq. deum, delubraq. genti
Inſtituet, cum iam genitor lucebis ab omni
Parte poli, neque enim in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Graiis Elice ſeruanda magiſtris.
Seu tu ſigna dabis, ſeu te duce Graecia, mittet
Et Sidon, Nilusq. rates, nunc noſtra ſerenus
Orſa iuues, haec vt Latias vox impleat vrbes.

Papinius Statius Domitianum, in Thebaide:

—— tuq. o Latiae decus addite famae,

Quem

Quem noua maturi ſubeuntem exorſa parentis
Aeternum ſibi Roma cupit. Licet arctior omnes
Limes agat ſtellas, & te plaga lucida caeli
Pleiadum, Boreaeq. & hiulci fulminis expers
Sollicitet, licet igni pedum frenator equorum
Ipſe tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat, aut magni cedat tibi Iuppiter aequa
Parte poli, maneas hominum contentus habenis
Vndarum, terraeq. potens, & ſidera dones.
Tempus erit, cum laurigero tua fortior oeſtro
Facta canam.

Et in Achilleide:

At tu, quem longe primum ſtupet Itala virtus,
Graiaque, cui geminae florent vatumq. ducumq.
Certatim laurus, (olim dolet altera vinci)
Da veniam, ac trepidum patere hoc ſudare parumper
Puluere, te longo, nec dum fidente paratu
Molimur, magnusq. tibi praeludat Achilles.

HORATI. ET VALERI. FLACCI LOCI. COLLATI.

BArbaras gentes Corallos non lituo, tubaue, aut tympano, in conflictu vſos eſſe ad animos militum incitandos, ſed fortium virorum laudibus, lib. VI. commemorat Valerius Flaccus, his verſibus:

Proelia nec rauco curant incendere cornu,
Indigenas ſed rite duces, & priſca ſuorum

Facta

Facta canunt, veterumq. viris hortamina laudes.

Quod & multo ante, Horatius ad Pisones de Arte Poetica scripsit a Tyrtaeo tale quid factum:

Tyrtaeusq. mares animos in Martia bella
Versibus exacuit.

OVIDI LOCI
EX. EPISTOLA. PENELOPES VINDICATI

Iulius Caesar Scaliger reprehensus.

IVlius Caesar Scaliger in Hypercritico illud apud Ouidium ex epistola Penelopes reprehendit:

Illi victa suis Troica fata canunt.

Non erunt inquit *victa fata. immo Troianum fatum vicit. vicit enim Troianorũ vota, quia in fatis erat Troiam capi.* Nullo negotio Scaligeri argumentũ dissolui, & Ouidium defendi posse, existimamus. Ouidius siquidem particularia, vt ita dicam, Troianorum fata, seu oracula, vt Seruio placet ad illud Verg.

——fracti bello, fatisq. repulsi
Ductores Danaum.

intellexit Palladium, Troilum & Laomedontis sepulcrum, Scaliger vero ad generale videlicet Troianorum fatum respexit. Fuisse autem plura fata, eademq. superata a Graecis, vt recte ab Ouidio dictum est, Plautus in Bacchidibus auctor est:

Ilio tria fuisse audiui fata, quae illi exitio forent:

Signum ex arce si periſſet, alterum etiam eſt Troili mors.
Tertium cum portae Scaeae limen ſuperum ſcinderetur.

Ibidem Scaliger ex eadem epiſtola *Namque* tollēdum pronuntiat ex eo verſu:

Omnia namque tuo ſenior te quaerere miſſo
Retulerat nato Neſtor, at ille mihi.

Neque inquit Scaliger *hic vlla cauſa reddenda eſt. igitur illud Namq. diſpungendum eſt. non enim relatio Telemachi efficiebat, vt Graeci proelia pingerent vxoribus.* Immo, inquam, ex Telemacho Penelope cognouit, quae a Graecis in Patriam reuerſis de bello Troiano coniugibus ſuis narrarentur. quod Telemachus, apud Neſtorem dum eſſet, perceperat. Neminem Ithacam rediiſſe, veriſimile eſt, cum Ithacenſes Ducem ſuum ſequi oporteret. Durum quoque ibi dem eſſe ſcribit, quod legitur:

Murus, quod fuit ante ſolum.

Murus enim inquit *numquam fuit ſolum*, Ego non fuiſſe adeo ineptum Ouidium arbitror, vt hoc excogitarit. Illud ſane affirmo, aliter ordinandas eſſe voces, atque Scaliger accepit.

Sed mihi quid prodeſt veſtris diſiecta lacertis
Ilios? & murus quod fuit ante ſolum?

Quid mihi prodeſt Ilios diſiecta, & ſolum, quod ante fuit murus? Eſtq. repetitio Poetis per familiaris. Haec autem ſententia eſt: Vrbem Troiam diſiectam, & dirutam, ac ſolo aequatam, nihilo magis vtilem, quam cum ſtaret Penelope videri, cui poſt Vrbis Troianae excidium marito carendum eſſet.

VER-

VERGILI. ET. LIVI LOCI COLLATI

De Etruſcorum imperio.

ETruſcos in duodecim partes diſtributos late a ſupero ad inferum mare imperio Italiam tenuiſſe, Liuius libro quincto ſcriptū reliquit. Eius haec ſunt verba: *Tuſcorum ante Romanum Imperium late terra mariq. opes patuere. mari ſupero inferoque, quibus Italia inſulae modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum, communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadria, Tuſcorum Colonia, vocauere Italicae gentes. Graeci eadem Tyrrhenum, atque Hadriaticum vocant. Ii in vtrumq. mare vergentes, incoluere vrbibus duodenis terras, prius cis Apenninum, ad inferum mare; poſtea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, colonijs miſsis. quae trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, vſque ad Alpes tenuere.* Haec Liuius. Nemo igitur miretur, cum apud Vergilium de Mantuae opibus legat, quae Tuſcorum caput eſſet, Aen. lib. x.

Mantua diues auis, ſed non genus omnibus vnum.
Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni.
Ipſa caput populis: Tuſco de ſanguine vires.

FVLVI VRSINI ET IOSEPHI SCALIGERI OPERA

in Festo explendo.

Festi Pompei semiustos libros egregie Fulvius Vrsinus expleuit. Eandem prouinciã Iosephus Scaliger nactus, multa feliciter assecutus est. In dictione Mutini felicior Vrsinus. nam quae in libro exeso desiderantur, litterarum, spatia & interualla adamussim dimensus, apposite restituit: &, cum Scaliger *extra Vrbem, aediculam* feciſſet, Vrsinus *via iuxta diuerticulum viae* reposuit. Eius coniecturam postea confirmauit vetus Inscriptio, quae nunc apud illum est:

VIA . QVAE . DVCIT
PER . AGRVM
NONIANVM
A . M . XX . DEVERTIC
SINISTROSVM
PER . COMPITVM
SECVS . PISCINAM
IN . FVNDO
DECIMIANO
THALAMIANO
IVNCTIS . DEBETVR
IT . A . VTI . HODIE
IN . VSO . EST

Penul-

Penultimi versus principes Syllabae punctis distinctae apte exponi possunt. *Iter Actus*, vt est in l. inter actum, & iter, de ser. rust. praed. *Inter actum & iter* inquit Modestinus *nonnulla est differentia. Iter est enim, quo quis pedes, vel eques commeare potest; Actus vero, vbi & armenta trajicere, & vehiculum ducere liceat.*

Posset etiam commode quis interpretari primam illã vocalem, A, *Aditus*, *Ambitus*, si de quopiam aedificio ageretur: vt in subiecta inscriptione diserte expressum est apud Delphinios.

H. V. I. C.
MONIMENTO. ITER
ADITVS. AMBITVS. DEBETVR
EX. SENTENTIA. EROTIS. AVG. L.
IVDICIS. A. VIA. CAMPANA
PVBLICA. DEXTRORSVM. INTER
MACERIEM. CALAMIANAM
ET. INSVLAM. EVCARPIANAM
. . ER. LATITVDINEM. PEDES. DVOS
. . SEMIS. VSQVE. AD. HOC
MONVMENTVM. ET. HINC
PER. CIRCVITVM. TOTIVS
MONVMENTI. VSQVE. IN. VIA
QVAE. DVCIT. IN. AGRO. ITEM
IDEM. MONVMENTI. ITER
ADITVS. DEBETVR. HINC
SECVNDVM. MONVMENT
VM. AFINIAE. TYCHES. ET
INDE. SECVNDVM. MACERIEM
EVCARPIANAM. IN. QVA. OLLAR
SVNT. ET. INDE. RECTO. VSQVE. AD
. . AM. PVBLICAM. CAMPANAM

VN-

VNDE . QVIS . SIT NOMINANDVS

EX parentibus liberos, non autem ex liberis parentes ostendendos esse, errareq. eos, qui pueri, aut etiam infantis Patrem, Auũ, aut Proauum scribunt, ignorat nemo, qui in bonis auctoribus versatus sit. clarius enim, illustriusq. parentum nomen, quam liberorum esse consueuit, nisi filius ad eam propria virtute gloriam peruenerit, vt maioribus suis facem praetulisse videatur. id quod M. Catoni, qui se Vticae interemit, vsu venit. qua de re diserte a M. Tullio Cicerone libro de Officiis tertio scriptum est. *M.* inquit *Cato sententiam dixit, huius nostri Catonis Pater. Vt enim ceteri ex patribus, sic hic, qui illud lumen progenuit, ex filio est nominandus.* Haec ille Praeterea naturae ordo postulat, vt, vnde quis ortus sit, non ignoretur, ac prior sit pater, quam filius. Quam scribendi consuetudinem Romani vel in primis secuti sunt, vt est videre in veteribus monumentis, in Tabulis Capitolinis:

M.VALERIVS.M.F.VOLVSI.N.CINCINNAT
P . SESTIVS . Q . F . VIBI . N . CAPITO
AP . CLAVDIVS . AP.F.M . N . CRASSIN

Et apud Fuluium Vrsinum lapis est perantiquus valde, antiquis litteris notatus, qui nuper inuẽtus, & effossus est extra portam Capenam:

MARTEI
M . CLAVDIVS . M . F
CONSOL . DEDIT

LV-

LVCANI
ALIQVOT. LOCI
DEFENSI

Aduersus Iulium Caesarem Scaligerum.

NImius mihi videtur in poetis exagitandis Iulius Caesar Scaliger, in Hypercritico. Lucanum in primis notat, quod Poema de bello Ciuili Pharsaliam appellarit. plura enim bella, & pluribus in locis a Caesare cum Pompeio, Pompeianisq. gesta ante, & post Magninecem prosequitur, Corfinienſe, Brundisinum, Marsilienſe, Dyrrhachinum, Hispanicum, Africum, Alexandrinum. Ego indignum esse Lucanum censeo, vt contra veterum sententiam a quoquam accusetur: Pharsalicamq. optima ratione inscriptam puto, quod eo bello de Pōpeianis partibus, deq. vniuersa optimatum causa actum sit. quod & Cic. testatur, qui, victo apud Aemathiam Pompeio; neque reliquias belli, neq. spem sequi voluit inanem. cetera siquidem bella ad hoc vnum proelium, tamquam ad caput, referenda sunt. Quare sic ipse Lucanus exorsus est:

Bella per Aemathios pluſquam ciuilia campos,
Iuſq. datum ſceleri canimus.

Ac sane Papini Stati iudicium, doctissimi poetae, ceteris praetulerim. is de ingenio, carminibusq. Lucani libro Siluarum secundo multa honorificentissime scripsit, quae ad hanc rem pertinent:

Mox coepta generoſior iuuenta
Albos oſsibus Italis Philippos,
Et Pharſalica bella detonabis,

Et

Et fulmen ducis inter arma diui,
Libertate grauem pia Catonem,
Et gratum popularitate Magnum
Tu Peluſiaci ſcelus Canopi
Deflebis pius, & Pharo cruenta
Pompeio dabis altius ſepulcrum.

In Lucano item damnat Scaliger dicendi genus, quo vſus eſt lib. IX.

Quid prodeſt miſeri Baſiliſcus cuſpide Murri
Tranſactus?

Latine inquit Scaliger *dicemus, Quid prodeſt Baſiliſcum tranſactum cuſpide fuiſſe?* Ego, num Latine ſit dictum, non quaero. Vtinam tam Latine ſciremus, quam Lucani ſeruus. Illud certe dico, eadem orationis forma Ouidium vſum eſſe in Penelopes epiſtola:

Sed mihi quid prodeſt veſtris diſiecta lacertis
Ilios? Reliqua per otium perſequemur.

RECONDITA NOMINVM. ET VERBORVM per numeros Figura.

FIguram per numeros fieri, nemo eſt paulo in litteris exercitatus, qui non ſciat, cum dictioni, quae numeri vnitatis ſit, verbum numeri multitudinis adiungitur; vt, Turba ruunt; Pars in fruſta ſecant. Virg. Aen. lib. VI.

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expe-

Expediunt. Illud autem non cuiuis obuium est, vt ad idem nomen collectiuum numeri singularis, duo referantur verba, alterum singulare, alterum plurale. Exempla ex Vergilio petenda. lib. Aeneid. 1.

Ac, veluti magno in populo cum saepe coorta est
Seditio, saeuitq. animis ignobile vulgus;
Iamq. faces & saxa volant; furor arma ministrat;
Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisq. auribus adstant.

Vides primum, dici *Ignobile, vulgus saeuit*, deinde, *Conspexere, Silent, Adstant.* Eadem quoque figura vsus est in secundo Aeneidos:

Pars stupet innuptae donum exitiale Mineruae,
Et molem mirantur Equi.

Et paulo infra, sunt, qui eandem figuram retinendam esse contendant:

Vndiq. visendi studio Troiana iuuentus
Circumfusa ruit; certantq. illudere capto.

LVNAE. SILENTIVM

VERGILIVS. ET. STATIVS COLLATI

Vae sint Lunae silentia, facilius ex Papinio Statio, Poeta Vergili studiosissimo, disces, quam ex Grammaticis. is enim lib. Thebaidos secundo, de Mercurio, Laium Regem ab inferis reducente, sic inquit:

Hac & tunc fusca volucer Deus obsitus vmbra

Exſilit ad ſuperos, infernaq. nubila vultu
Diſcutit, & viuis afflatibus ora ſerenat.
Inde per Arcturum, mediaeq. ſilentia Lunae
Arua ſuper, populosq. meat: ſopor obuius illi
Noctis agebat equos.

Vergilius lib. Aeneidos ſecundo:

Et iam Argiua phalanx inſtructis nauibus ibat
A Tenedo, tacitae per amica ſilentia Lunae.

VERGILI · ET VALERI . FLACCI LOCI . COLLATI

INgenioſe a Vergilio dictum Quinctilianus affirmat, *Demiſſum lapſi per funem*, Aen. lib. 2. cum Equi lignei altitudinem exponere voluiſſet.

Valerius autem Flaccus, ad oſtendendam arboris proceritatem, alia ratione vſus, admirabile ingenium ſuum declarauit, lib. VI.

Denſior haud vſquam, nec celſior extulit vllas
Silua trabes, feſſaeq. prius rediere ſagittae,
Arboris ad ſummum quam peruenere cacumen.

Sed & Vergilium imitatus videtur, qui Georgicor. ſecundo ſic inquit:

—— vbi aera vincere ſummum
Arboris haud vllae iactu potuere ſagittae,
Et gens illa quidem ſumptis non tarda pharetris..

VI.

VIDVARE

AD. MARES. QVOQ. REFERENDVM

Seruius reprehensus.

Vergilius & Silius collati.

SEruius ad illud Vergili lib. Aeneidos IIX.

——*tam multis uiduasset ciuibus Vrbes.*

proprie Viduare ad Vrbes relatum, quae generis sunt feminini, scripsit; Horatium vero abusiue, & satis incongrue, genere masculino posuisse, libro primo Carminum:

——*viduus pharetra*
Risit Apollo.

Seruium, Sili Italici, viri grauissimi, & in arte dicendi exercitatissimi, auctoritas refellit. is lib. 2. ad genus masculinum Viduandi verbum rettulit:

At viduus teli, frustrato proditus ictu.

Viduus, translate, *pro Exsuto accipitur.*

CAPVT. MVNDI

ROMA

Loci Poetarum collati.

ROmam Orbis caput dictam, in Claudi Rutili Numatiani adnotationibus noſtris multis auctoribus probauimus:

Qui domina arces, & caput orbis habet.

Eo etiã ſpectat, quod apud Ouid. lib. v. Faſtorũ inter legẽdum, vt fit, notauimus:

Hic, vbi nunc Roma eſt, orbis caput, arbor, & herbae,
Et paucae pecudes, & caſa rara fuit.

Et Metam. xv.

Iamq. caput rerum Romanam intrauerat vrbem.

HORATI. ET. OVIDI

LOCVS. COLLATVS

QVae de Mercurii laudibus Horatius ſcripſit Ode x. lib. 1. eadem fere Ouidius vſurpauit. lib. Faſtorum v. Eodem quoq. dicendi genere vterq. vſus eſt. Sic Horatius:

——ſuperis Deorum
Gratus, & imis.

Ouidius autem:

Pacis, & armorum ſuperis, imisq. deorum
Arbiter, alato qui pede carpis iter,
Laete lyrae pulſu, nitida quoq. laete palaeſtra,
Quo didicit culte lingua docente loqui.

HO;

HORATI. ET CLAVDIANI LOCI. COLLATI

CLaudianus in VI. Honorij Consulatum ostendit, se non ingenij solum viribus excitatum, sed optimor. quoq. Poetarum lectione assidua, ad Poeticum decus, & gloriam peruenisse. Nam ita Horati ornamenta vniuersa, quae de naue quassa, & naufraga congesta sunt Ode XIV. lib. I. in suam transtulit, vt nihil aptius, elegantius vé fieri posse videatur.

——qualis piratica puppis,
Quae cunctis infensa fretis, scelerumq. referta
Diuitijs, multasq. diu populata carinas,
Incidit in magnam, bellatricemq. triremem,
Dum praedam de more putat, viduataq. caesis
Remigibus scissis velorum debilis alis,
Orba gubernaclis, antennis saucia fractis,
Ludibrium pelagi vento iactatur, & vnda,
Vastato tandem poenas luitura profundo.

Horatius sic:

O Nauis, referent in mare te noui
Fluctus: o quid agis? fortiter occupa
Portum. non ne vides, vt
Nudum remigio latus?
Et malus celeri saucius Africo,
Antennaeq. gemant? ac sine funibus
Vix durare carinae
Possint imperiosius
Aequor? non tibi sunt integra lintea.

Et

Et paulo infra:

——*tu, niſi ventis*
Debes ludibrium, cane.

QVID. SIT APVD. VERGILIVM MARE. STARE

Seneca emendatus.

MAre ſemper agitari, fluere, numquam ſtare, ſuapte natura, & re ipſa conſtat, & & a Philoſophis proditum eſt. Quamobrem ſunt, qui Vergilianum illud, Eclog. 2. non ſatis probent:

Cum placidum ventis ſtaret mare.

Seneca lib. Naturalium V. Vergili locum interpretatur, ita tamen, vt a rei natura non diſcedat. *Sic tranquillum* inquit *mare dicitur, cum leuiter commouetur, nec in vnam partem inclinatur. itaq. ſi legeris,*

Cum placidum ventis ſtaret mare,

ſcito illud non ſtare, ſed ſuccuti leuiter, & duci. tranquillum eſt, quia nec huc, nec illo impetum capit. Sic eſt in meo vetuſtiſsimae impreſsionis libro: ac mihi magis placet, quam quod in aliis legitur, *Et dici tranquillum, quia nec huc, nec illo impetum capiat.*

VER-

VERGILI. ET TIBVLLI LOCI COLLATI

VErgilium lib. Aen. VII. eadem comparatione vsum in Amatae Reginae, furētis, & per Vrbem, sine vllo aut Regiae Maiestatis decoro, aut matronalis personae pudore, discurrentis, expositione, quam Tibullus de se extulit lib. I. Eleg. V. notauimus. Illud certe discrimen esse animaduertimus, quod apud Carisum lib. Institutionum grammaticarum primo, est legere. Nam Turbonem a Vergilio, quem Turbinem a Tibullo, dictum doctissimus grammaticus testatur. Tibulli versus:

Namq. agor, vt per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer assueta versat ab arte puer.

Vergili autem:

Tum vero infelix ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per vrbem;
Ceu quodam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent. ille actus habena
Curuatis fertur spatijs. stupet inscia turba,
Impubisq. manus, mirata volubile buxum.
Dant animos plagae.

Ad quem locum Seruius, *Turben, vt Carmen, a Catullo dictum*, scribit: sed a Carisi sententia discedit: & locus omnino mendosus mihi videtur.

VER-

VERGILI. LOCVS A. CLAVDIANO EXPRESSVS

CLaudianus merito Vergili mentem habuisse dictus est, qui Vergilianae Maiestatis non sententias solum admiratus, atq. imitatus est, sed verba etiam, & dicēdi genera eleganter reddidit. In Rufinum porro Eclogae primae, illud feliciter expressit Vergilianum:

Ite meae, quondam felix pecus, ite capellae:

Sic Claudianus:

Ite mei quondam socij.

AN. VLLA. VIS VENEFICIIS. IN. AMORE FVISSE. SIT. CREDITA

VEneficas insectatur Horatius, & irridet; Canidiamq. sibi insultantem, sic loquentem facit:

Plorem artis in te nil habentis exitum?

Afranius autem, vetus poeta, optimo argumento veneficia non eam habere vim, vt misere quam piam depereas, acutissime, & suauissime probat:

Si possent homines delenimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Aetas, & corpus tenerum, & morigeratio,

Haec

Haec sunt venena formosarum mulierum.

Formam,& obsequium Glycerij plurimum potuisse in Pamphilo, Terentius scriptum reliquit:

Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.

Haec duo coniunxi tOuidius in Hypsipile:

Moribus, & forma conciliandus amor:

Quibus sane artibus si vxores in viros suos vterentur, nullae omnino altercationes inter eos exorirētur. Illudq. profecto contingeret, quod ad coniugalem felicitatem Horatius pertinere praedicat:

Felices ter-& amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulsus querimonijs,
Suprema citius soluet amor die.

Haec recte Ethnicos sensisse constat. Certius autem nos Christiani credimus, nullam cogendi vim habere veneficia, inanemq. esse daemonum operam ad compellendam animi nostri libertatem. quod illustri sane exemplo SS. Martyrum Cypriani & Iustinae redditur indubitatissimum.

EXPLICATVS VERGILI LOCVS

Seruius reprehensus.

Roprium pro diuturno, & perpetuo, Vergilius vsurpauit, libro VI.

—— nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria haec si dona fuissent.

Eadem plane significatione hoc ipsum verbum A. Hirtius de bello Africo extulit: *Quod proprium* inquit *gaudium bellantibus fortuna tribuere non decreuit.*

Seruius ad illum sexti libri versum, *Propria dona, Perpetua* significare cum docuisset, sentẽtiamq. suam exemplo confirmaret; ad illum primi libri locum se contulit:

Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,
Quarum, quae forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam stabili propriamq. dicabo.

Sed tamen in explicatione eius longe aliter sensit. Propriam enim idcirco dictam scribit, vt adulterij suspicionem remoueret. Quare aut Seruius sibi non constat, aut locus corruptus est, & interpolatus: quod & verius puto. equidem non adulterij suspicionem, sed diuortij summotam, propriae vocis adiectione, crediderim. estq. repetitio, siue expositio eius, quod dictum est: *Connubio iungam stabili.* Quae repetitio, & expositio perfamiliaris est Vergilio.

CVR. PICTI. GELONI A. VERGILIO. DICTI

Claudiani locus collatus.

EXpressit luculenter Claudianus illud Vergilij Georg. secundo:

Pictosq. Gelonos.

Qui sic libro in Rufinum primo scripsit:

Membraq. qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.

Recte igitur Seruius ad Vergilium *Pictos* interpreratur *stigmata habentes.*

VER-

VERGILI. LOCVS A. CLAVDIANO. EXPRESSVS

VErborum, vt diximus, Vergilianorum obseruator diligentissimus, atque imitator Claudianus fuisse videtur; quibus sua Poemata, quasi luminibus quibusdam, respersit. Bis in vsum suum conuertit illud libri Aeneidos primi:

Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri?

De bello Gildonico:

Tanta ne deuinctos tenuit fiducia Mauros?

Et de bello Getico:

Tanta ne vos, inquit, Getici fiducia belli
Erigit?

VERGILI. ET STATII. LOCI. COLLATI

NVmeros, vocesq. Vergilianas expressit Statius lib. Theb. 1.

Impastae fugistis aues, rabidamq. canum vim.

ad illud lib. Aeneidos quarti respiciens:

Massiliq. ruunt equites, & odora canum vis.

VERGILI LOCVS EXPLICATVS PRVDENTI COLLATVS

Seruius, & Turnebus reprehenſi.

PRudentius aduerſus Symmachum videtur Vergilium interpretatus, qui ſic ſcripſerit:

Nec non Theſſalicae doctiſsimus ille magiae
Traditur exſtinctas ſumptae moderamine virgae
In lucem reuocaſſe animas, Cocytia leti
Iura reſignaße, ſurſum reuolantibus umbris:
Aſt alias damnaſſe neci, penitusq. latenti
Immerſiſſe Chao.

Vergilius vero ſic, Aen. lib. IV.

Tum virgam capit. hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Turnebus lib. Aduerſarior. 24. cap. 26. Seruium hoc loco reprehendit, qui *Reſignat*, expoſuerit, *claudit, perturbat*; eamq. interpretationem ineptam dicit; ac ſuam ipſe affert longe ineptiorem. voluit enim Maronem reſpexiſſe ad veterum Romanorum conſuetudinem, qui mortuis in rogo collocatis oculos domi a familiaribus clauſos aperiebant. Quid, quaeſo, commune hominibus cum dijs eſſe poterat? Num vero, quod erat cognatorum officium, ad Mercurium pertinere opinatus eſt? Rectius, petendam eius loci, & verbi expoſitionem a Prudentio, dixerim, qui, repetitione elegantiſsime vſus, *Reſignat*, eſſe, *ab inferis excitare*, teſtatur. *Reſignat* enim *lumina*, eſt repetitio, ſiue exegeſis, & expoſitio eius, quod praeceſſerat, *Adimit ſomnos*.

AN-

ANTE. NE

AN. POST. SVBSTANTIVVM COLLOCANDVM. SIT ADIECTIVVM

Diectiua praecedere semper, numquam subsequi substantiua nomina oportere, amicus meus putat; aliter si fiat, carmen esse humile, & ineptum, affirmat. Hunc ego scrupulum exemptum ex adolescentium animis volo. Quare faciendum est mihi, vt totam hanc adiectiuorum subsequentium rationem optimorum Poetarum confirmem auctoritate. Afferam igitur in medium versus aliquot, qui mihi sese primi obtulerunt. lib. Aeneid. v.

Et saeuire animis Entellum haud passus acerbis.

Infra:

——malo suspendit ab alto.
——primus clamore secundo.
——& vincula linea——
——vitamq. reliquit in astris
Aetherijs——
——docuit post exitus ingens.
Muneribus cumulat magnis.——
Quamuis solus auem caelo deiecit ab alto.
——pectore summo.
——Creta Labyrinthus in alta.

Ecl. 7.

——in montibus altis.

Ecl. 1.

Maioresq. cadunt altis de montibus vmbrae.

Statius lib. Siluarum tertio, de Coma Earini.

Quos

——quos mole noua pater inclytus Vrbis
Excolit.

Verg.Ecl.3.

——quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

Ecl.4.

——siluae sint consule dignae.
——caelo demittitur alto.
——caelumq. profundum.

Ecl.1.

——lapis omnia nudus,
Limosoq. palus obducat pascua iunco.
——hic inter flumina nota,
Et fontes sacros, frigus captabis opacum.

Georg.4.

——lucosq. sonantes.

Ecl.1.

Florentem cythisum, & salices carpetis amaras.

Et:

Fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,
Castaneae molles.

Ecl. 2.

Montibus, & siluis studio iactabat inani.
Allia, serpyllumque, herbas contundit olentes.
At mecum raucis tua dum vestigia lustro
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Lac mihi non aestate nouum, non frigore defit.
Pan primus calamos cera coniungere plures.

Immensi operis esset, quae apud Latinae linguae optimos auctores ea de re exstant exempla huc congerere. Illud tantum adiungo, ex his paucis constare, ordinem in collocatione adiectiuorum obseruari non oportere.

LITTERARVM MONVMENTIS PRAESTANTISSIMORVM . HOMINVM MEMORIAM . CONSERVARI

Eius rei aliquot Poetarum, Ciceronisque, & Senecae sententiae congestae.

Ibenter facio, quod a doctissimis viris factitatum scio, vt eiusdem sententiae locos vndiq. collectos sub vno fere aspectu statuam. sic enim fit, vt multorum sententiis, quod volumus, facile consequamur. Scriptorum beneficio fortium virorum nomina viuere; contra vero, extingui, & aboleri, Poetarū praesidio destituta, Horatius elegātissime disseruit, libro Carminum quarto, Ode octaua:

———neque
Si chartae sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae,
Mauortisq. puer, si taciturnitas
Obstaret meritis inuida Romuli?
Ereptum Stygijs fluctibus Aeacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum diuitibus consecrat insulis
Dignum laude virum Musa vetat mori.

Et Ode nona:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles

Vr-

Vrgentur, ignotiq. longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Paullum sepultae distat inertiae
Celata virtus.

Sed & Tibullus carminibus aeternã comparari famã dixerat, libro primo, Elegia quarta:

Carmine purpurea est Nisi Coma: Carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musae, viuet dum robora tellus,
Dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas.

Lucanus libro nono idem sensit:

O sacer, & magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus aeuum.

Et paullo infra:

Venturi me, teq. legent: Pharsalia nostra
Viuet, & a nullo tenebris damnabimur aeuo.

In eandem sententiã omnes eunt Poetae, quibus assentitur Cicero: is enim pro Archia sic inquit: *Plena exemplorum vetustas. quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet.* Et infra: *Nisi Ilias extitisset illa, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset.* loquitur de Achille, & Homero.

Seneca vero epistola ad Lucilium xxi. Oratorum quoque, & philosophorum libris eam vim esse testatur. *Quis Idomenea,* inquit, *nosset, nisi Epicurus illum suis litteris incidisset? omnes illos Megistanas, & Satrapas, & Regem ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatur, obliuio alta suppresit. Nomen Attici perire Ciceronis epistolae non sinunt: nihil illi profuisset gener Agrippa & Tiberius progener, & Drusus Caesar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum aperuisset. Profunda supra nos altitudo tẽporis veniet, pauca ingenia caput exerent, & in idem quandoque silentium abitura obliuioni resistent, ac se diu vindicabunt. Quod Epicurus amico suo potuit promitte re,*

mittere, hoc tibi promitto, Lucili. habeo apud posteros gratiam. possum mecum duratura nomina educere. Vergilius noster duobus memoriam aeternam promisit, & praestat:

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vmquam memori vos eximet aeuo,
Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumq. Pater Romanus habebit.

Quoscumque in medium fortuna protulit, quicumque membra, ac partes alienae potentiae fuerant, horum gratia viguit, domus frequentata est, dum ipsi steterunt, post ipsos cito memoria defecit. Ingeniorum crescit dignatio: nec ipsis tantum habetur, sed quidquid istorum memoriae adhaesit, excipitur.

Haec Seneca, sapientissimus Orator, & eloquentissimus Philosophus, pro rei magnitudine, grauissime tractauit. Quae quam vere dicta sint, nihil attinet disputare. Eorum enim tantum nomina ad nos peruenerunt, qui aut ipsi victura scripserunt, aut alienis scriptis irrepserunt.

HOMERI . HESIODI ET . VERGILI LOCVS . COLLATVS

Numiſma INICI . DAVALI

HOmerus in Achillis clypeo Mundum a Vulcano effictum multis verſibus, quorum vnum appoſuimus, Iliados Σ proſecutus eſt:

Εν μὲν γαῖαν ἔτευξ' ἐν δ' οὐρανὸν ἐν δὲ θάλασσαν

quem verſum ſic Latine reddidimus:

In clypeo terram, caelumq. effinxit, & aequor.

Eiuſdem Argumenti eſt Heſiodi Ἀσπὶς, vbi multa de Herculis clypeo narrantur.

Vergilius vero vtrumq. imitatus in Aeneae clypeo Aeneae progeniem, & Romanorum res geſtas, Auguſtiq. naualem ad Actium victoriam, & triumphũ expreſſum fuiſſe libro octauo extremo teſtatus eſt. Ad Homeri autem Cõmẽtum propius accedit ampliſſimum ex aere Numiſma, ſiue, vt in Italia vulgari ſermone loquimur, Il Medaglione, quod proximo ſuperiore anno ALOYSIVS ORICELLARIVS, HORATII Clariſſimi viri, Filius, nobis dono dedit. quo in Numiſmate ex

alte-

altera quidem parte INICI. DAVALI effigiem, & nomen, ex altera vero Mundum, Terram scilicet, Caelum, ac Mare Pisanus Pictor cum suo nomine, & sententiola vulgaribus verbis concepta, PER VVI SE FA, ideſt Tibi fit, centum, & eo amplius abhinc annis excuderat. Nos THOMAE . DAVALO . INICI ABNEPOTI, Illustrissimo Principi, qui ad maiorum suorum gloriam singulari virtute aspirat, gentis suae in Italia auctoris monumentum, nostris auctum versibus, dedimus.

AD . THOMAM . DAVALVM DE . INICI . DAVALI NVMISMATE

IOSEPHI . CASTALIONIS CARMEN

TSI virtutis celsam contendis ad arcem
Sponte tua, & per te in summos incumbis honores,
Attamen incessus maiorum laude tuorum
Adijcis ad veterum titulos, & facta parentum
Grande decus, THOMA, propriaq. in luce coruscas.
Quare oculos retinet series deducta tuorum

Longa tuos, longusq. renidet imaginis ordo.
INNICVS vnus abest vobis, sed stemmate toto
Primus in Italiam terris qui venit Iberis
DAVALVS inuicti, generosus sanguinis auctor.
Is mihi, vix credes, signato oblatus in aere
Pectora laetitijs perfudit nuper amicis:
Non sic exsiluit tumulo post multa retecto
Saecla Syracusij mensoris TVLLIVS olim.
Quem non attonitum maiestas reddere possit
Oris, & obstupeat quis non in veste superba?
Gratia Pisano debetur summa labori;
Qui faciem Herois nostros seruauit in annos;
Virtutemq. viri praestantis munere belli,
Artibus & pacis per mystica signa notauit.
Namq. hic aetherium prudens effinxit Olympum,
Addidit Arcturũque, Hyadasque, & Orionis ensem.
In medio Terram posuit, Saltusq. Ferasq.
Oppidaq. & summis geminas in montibus Arces,
Vndisonumq. infra litus, camposq. liquentes
Oceani, totumq. viro subtexuit Orbem.
Mulciber Aetnaeis clypeum fornacibus acer
Formasse ingenti talem narratur Achilli,
Talem Caesaribus, quorum sub legibus Orbis,
Aere notam fuluo procudit Martia Roma.

OPVS · PISANI · PICTORIS · PISANI · SEFA · PERVVISANI

DON · INIGO · DE · DAVALOS

Scriptiones hae Viri eruditiſs. Ioſephi Caſtalionis nihil continent, quod Fidei, aut moribus officere poſsit: eaſq. propterea imprimi poſſe cenſeo. Romae. 22. Ianuarij. 1594.

M. A. Maffa.

Imprimantur.

F. P. Ioannes Saragoça, Magiſter, & ſocius Reuerendiſsimi Magiſtri Sacri Palatij.

Imprimantur.

M. Antonius Vicesgerens.

---

pag. 60. legendum, Vrſinus *dextra via, &c.*

DE. ANTIQVIS

PVERORVM PRAENOMINIBVS

IOSEPHI. CASTALIONIS. IVRISCONSVLTI COMMENTARIVS

AD. ALOYSIVM. ORICELLARIVM HORATII. F.

ROMAE,
Ex Typographia Bartholomaei Bonfadini. 1594.

SVPERIORVM PERMISSV.

ALOYSIO · ORICELLARIO
HORATII · FILIO

IOSEPHVS · CASTALIO . S . P . D.

IBELLVM de antiquis Puerorum Praenominibus, quibus ante mille & sexcentos annos vtebantur Romani, aduersus quosdam pereruditos viros conscripsi. Ac certissimis argumentis docui, eadem fuisse Pueris Praenomina, quae et viris fuissent. Necessario autem faciendum mihi fuit, vt nimius fortasse in antiquis Inscriptionibus congerendis viderer. Nam & res per summos homines in dubium reuocata multis erat testimonijs confirmanda, & operae pretium mihi facturus videbar, si, quos per Vrbem sparsos ipse diligenter descripseram lapides, quibus in ipsis quidpiam esset, quod ad haec litterarum studia pertineret, sub vno quasi adspectu ponerem. Multa autem & magna, quae antiquitatis, & Latinae linguae studiosos adiuuent, in veteribus monumentis

conſeruantur. Illud vtinam deplorãdum non eſſet, haec ipſa monumenta, ſtudioſe, patrum memoria, a doctis, & potentioribus viris collecta, heredum negligentia diſpergi, & perire. Has vero noſtras lucubrationes aetati, & ſtudijs tuis congruentes tibi dono libenter damus. Nam duodecimum annum agens tantã ingenij, et iudicij praetefers maturitatem, vt omnes in te HORATII *Patris tui viri ſapientiſsimi prudentiam, virtutem, et pietatem facile agnoſcant. Macte iſta indole. da operam, vt neque* HANNIBALE *religioſiſsimo Epiſcopo Patruo tuo; neque* IOANNE CASA *Archiepiſcopo, incomparabili Patris tui Auunculo; neq.* FRANCISCO GVICCIARDINO *ſummis honoribus functo, Matris tuae Patruo magno; neq.* ALEXANDRO BARDIO *Epiſcopo, Auiae tuae Fratre, indignus vmquam habeare. Illuſtria tibi ad litterarum, eloquentiae, & virtutis laudem domeſtica ſunt propoſita exempla. Pergè; ac, dum per aetatem licet, honeſtis ingenium artibus excole, vt mox adultores publica tibi committi feliciter poſsit. Vale. Romae. X. Kalendas Februarias. 1594.*

DE ANTIQVIS PVERORVM PRAENOMINIBVS

IOSEPHI CASTALIONIS IVRISCONSVLTI

Commentarius.

FRANCISCVS Robortellus, homo apprime doctus, libello de Cognominibus, & appellationibus Impp. extremo, Pueris nulla fuisse praenomina ante virilem togam, diserte disputat. Lustrico autem die, qui erat maribus a natali nonus; nomina gentilicia imponi tantum moris fuisse, opinatur. *Locus est* inquit *Suetonij adnotandus in Claudio Nerone, qui huc spectat, numero V. Eiusdem infelicitatis signum eiusdem die lustrico exstitit. Nam C. Caesar, rogante sorore, infanti ei, quod vellet, nomen, daret, intuens Claudium, patruum suum, a quo mox Principe Nero adoptatus est, Eius se dixit dare. ergo lustrico die, est appellatus infans Claudius. Ecce, vt non addebatur praenomen. nam, quo die virilis toga dabatur, assumebant praenomina, vt alibi ex Valerio a me contra nonnullorum sententiam declaratum fuit.* Haec ille. Robortelli

telli ſententiam ſecutus videtur Onuphrius Panuinius, qui de antiquis Romanorum nominibus libro ſic ſcripſit: *Pueros ego crederem, & Puellas praenominibus quidem caruiſſe, Puerosq. familiae nomina, & cognomina vſurpaſſe, vt Iulios Caeſares, & Tullios Cicerones; Puellas vero tantum nomina gentilicia, vt Iuliam, Tulliam, Fabiam. Maximam enim mulierum partem non ſolum ante nuptias, ſed poſtquam nupſiſſent etiam, praenominibus caruiſſe, conſtat. Quod enim Valerius de praenominum imponendorum ratione refert, manifeſtum erit, Ciceronis epiſtolas percurrenti, vbi ante virilem togam, ſemper Cicerones Pueri dicuntur, poſtea Marcus filius, Quinctus filius. Vnde ipſe Cicero in Epiſtolis Fam. Habuit, inquit, praenomen neſcio quid virilitatis, & dignitatis.* Haec Panuinius. Vtriq. Pſeudo Valerius impoſuit; & ante illos Alciato noſtro: qui libro Diſputationum 4. cap. 1. ſic inquit: *Extat penes me Valerij Maximi quoddam opuſculum, quod inſcribitur de nominibus Roman. &c.* Carolus quoq. Sigonius lib. Emendationum ſecundo eiuſdem Pſeudo Valerij opuſculum citat, his verbis: *Praenomina igitur muliebria ſtatuit Valerius, apud quem ita ſcriptum eſt, capite de praenominibus: Antiquarum mulierum frequenti in vſu, &c.* Ego, antequam ſuſceptam de Puerorum praenominibus diſputationem aggrediar, ſuppoſiticium Valerij opuſculum illud de Praenomine, ſiue Decimi libri Valerij per Caium Titum Probum Epitomen de Praenomine adulterinam eſſe ſtatuo. idq. mihi aperte diſſerēti Aldus Manucius, vir optime de litteris meritus, eiuſdem ſententiae plerosq. doctos viros eſſe, falſamq. omnino haberi hanc Decimi libri ad Valerium acceſsiunculam affirmauit. Quare mirum in modum mihi gratulatus ſum, quod & per me ipſe damnaſſem, quae aliis etiam ſuſpecta eſſent. Hoc igitur euerſo fundamento, aedificium ſuperſtructum corruat, oportet. Sed ad diſputationem de Puerorum Praenomine deueniamus. Scripſerit Plutarchus in Problematis, nomina octauo, & nono die impo-

imponi solita esse apud Romanos. Sextus Pompeius ea de re ita meminerit: *Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octauus, puerorum nonus, quia his lustrantur. atq. eis nomina imponuntur.* Cum eo Macrobius consentiat, his verbis: *Est autem Lustricus dies, quo infantes lustrantur, & nomen accipiunt, sed is maribus nonus, octauus est feminis.* Non tamen continuo sequitur, vt Pueros Praenominum expertes fuisse sit dicendum. Nam Nomen non pro gentilicio, & familiae nomine proprie vsurpatum ijs in locis iudico, sed pro quacumq. appellatione, siue id praenomine in maribus, siue cognomine in femininis fieret. Errat Robortellus, cum apud Suetonium Nomē pro gentilicio sumit, & eo grauius errat, quo lōgius ab historiae fide discedit, & familias confundit. Infantem enim ex gente Domitia Claudium appellatum esse, affirmat. atque adeo lectoribus probare conatur, non addi pueris praenomina, sed nomina gentilicia, consuetum esse. Dixerat quidem Caligula, se Claudij nomen dare, sed per iocum, & aspernante Agrippina, vt est apud Suetonium, Verum, esto, datum sit Domitio Ahenobarbo nomen Claudij, qui Tiberius Claudius Drusi filius dicebatur, Claudij nomen, idest nomen proprium, quod & praenomen vocabatur, quo a reliquis ex gente Claudia distinguebatur, vt esset puero praenomen Tiberius. Non ne absurdum fuerit dicere, eum, qui natus sit ex Domitia gente, sine vlla adoptione, vno eodemq. tempore, tum Domitiae, tum Claudiae gētis exstitisse? Panuinius vero Ciceronis epistolas percurrisse quidem videtur, sed nusquam substitisse. quippe qui nusquā ante togam datā Ciceronibus pueris praenomina apposita scribat. Hominē celerrime percurrentem fefellit epistola xx. lib. v. ad Atticum. *Ego* inquit M. Cicero, *cum Laodiceam venero, Quincto sororis tuae filio togam puram iubeor dare.* Et epistola prima lib. vi. *Ciceones* inquit, *pueri amant inter se, discunt, exercentur. sed alter, vti dixit Isocra-*

tes

tes in Ephoro,& Theopompo,frenis eget,alter calcaribus. Quincto togam puram Liberalibus cogitabam dare. mandauit enim pater. Ad has epistolas si diuertisset Panuinius, aut si paulum ad eas commoratus esset, ante togam datam altero ex Ciceronibus puero Quincto praenomen fuisse didicisset. *Cicerones*, inquit, *ante* XVII. *aetatis annum, quo anno toga dabatur, sine praenomine vocantur, post id tempus praenomen addebatur M. & Q.* Commenticium, & plane falsum esse id, ex ipso Cicerone cognoscitur. Nam & post togam datam Ciceronem suũ sine M. praenomine appellat lib. ad Atticum nono. *Ego meo*, inquit, *Ciceroni, quoniam Romae caremus, Arpini potissimum togam puram dedi.* Iam vero, quis Pseudo Valerio, Pueros praenominibus exsuenti, fidem habebit? quis Robortello, & Panuinio, gentilicia nomina comminiscentibus, credet? *Gentilicia*, inquiunt, *nomina lustrico die imponebantur.* O rem ridiculam, ei, qui gentis suae nomen ex matris vtero ferebat, id ipsum nomen imponi. Sed, quaeso, qui fieri poterat, vt ex gente Iulia, & Tullia, Iulius, & Tullius non nasceretur? aut, si plures liberi anniculi, bimi, trimi, quadrimi ab vno patre suscepti essent, omnibusq. ante togam vnum gentilicium nomen inditum esset, Iuliorum videlicet, aut Tulliorum, qui fieri poterat, vt sine vlla proprij nominis appellatione discerni, distinguiq. inter se possent. Sed mitto argumenta. Ad morem, vsum, & consuetudinem, summo lapidum consensu, festino. Nam mihi vetera vrbis Romae monumenta perscrutãti tam multa intra, atque extra Vrbis ambitum eius generis sese obtulerunt, vt finem describendi prope numquam facerem, si omnia, quae ad hanc rationem pertinent, persequi vellem. quaedam selegimus, paucioribus contenti ad ostendendum, minores XVII. annis praenominibus affectos. Sed & Carolus Sigonius vir doctiss. lib. Emendationum secundo in caput XIIX. & XXV. Robortelli egregie pro Puerorum Praenominibus disputat.

Apud

Apud Delphinios:

TI. CLAVDI. EVRYTI. VIXIT. ANNIS. VI
MENSIBVS. VIII. DIEBVS. III
FECIT. CLAVDIA. EXTRACTA. MATER
FILIO. BENEMERENTI. ET. SIBI. POSTERIS
QVE. SVIS

Vides, puero infra pubertatem extincto, praenomen Tiberio fuisse.

Ibidem:

MEMORIAE
I
P. AELI. OLYMPIAN
QVI. VIX. A. XVI
M. II. D. XI
RELICTA. MATRE
INFELICISSIMA

Huic quoq. praetextato Publio praenomen fuit.

Ibidem:

L. THORIO
EVTYCHE
V. A. I. M. VI. D. XII

Infanti alterum annum agenti Lucio praenomen fuit.

Sed, quando singulis inscriptionibus additus est suus aetatis annus, ipse temporibus exponendis supersedebo.

Ibidem:

DIS. MANIBVS
M. CASSI. M. F
GEMINIANI

VIXIT. A. VI. M. V. D. XVII
M . CASSIVS . FRVCTVS
ALVMNO . ET . SIBI

Apud Maffaeios:

TI . CLAVDIO . VITALIONI . FILIO
CARISSIMO . QVI . VIX . ANN . XI
M . VII . D . XIII . FECIT

AELIVS . AVG . LIB . IANVARIVS . PATER
ET . CLAVDIAE . SVCCESSAE . CONIVGI
BENEMERENTI . ET . INCOMPARABILI . FEMINAE
CVM.QVA.VIX.ANN.XXX.CVIVS.NVLLA.CVPIDITAT
EST . EXPERTVS . ET . CLAVDIO . AVG . L . CEN
(SORINO . FILIO
KARISSIMO . ET . SIBI . ET . SVIS . LIBLIBERTA
(BVSQ . POSTERISQ . EORVM

Via Flaminia, ad S. Andreae, prope Pontem Miluium:

D : M
T . NAVINI . PRIS
CO . VIX . ANN : II
DIEBVS . VIII
T . NAVINIVS . PHI
LADESPOTVS . ET
CORNELIA . FELICITAS
PARENTES . FILIO
KARISSIMO

Apud

Apud Orsinium Iustinianum, siue in Aedibus Podocatharorum ad Cloacam S. Luciae:

D . M
M . MEMI
LIO . PLO
CAMIA
NO . P . AELI
VS . PLOCA
MVS . ET . F
SPES . FILI
O . VIXIT
ANNIS . II
MENSE . I
DI . XXVIII

Et:

M . APPAEO
MAXIMO
VIX . A . VI
MENS . III
D . X X
H . IIII

Ad Campum Florae:

M . ΛQVILII . EVCARPI
FIL . DVLCISSIMI
QVI . VIX . ΛN . VI
M . XI . DIƎB . II
M . ΛQVILIVS
SATVRNINVS . PATER

Apud Caesios:

Q. CAECILIO
FEROCI
KALATORI. SACERDOTII
TITIALIVM. FLAVIALIVM
STVDIOSO
ELOQVENTIAE
VIXIT. ANNIS. XV
MENSE. I. DIEBVS. XXIII
FILIO. OPTIMO. AC
REVERENTISSIMO
M. GAVIVS. CHARINVS

Et:

P. NAEVIVS. FORTVNATVS. VIX. ANN. XVII. MENS. XI
M. CALIDIVS. MARITIMVS. VIX. ANN. IIII. MENS. V
P. MANLIVS. FVLVIANVS. ET. NAEVIA. SCATILLA
FECERVNT. FRATRI. PIISSIMO. ET. FRATRI
(DVLCISSIMO

In Musaeo Carp.

TI. CLAVDI. PHILETI
V. A. VI. M. III. D. XXI
TI. CLAVDIVS. PHILETVS
ET. CLAVDIA. PHILA. PAREN
FEC. F. CARISSIMO. PIISSI
MO. ET. SIBI. ET. SVIS

LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE . EORVM

Apud Caesios :

T . CAESIVS . PRISCILLAE . L . HERMES
POSTVMIANVS . SIBI . ET
CAESIAE. ANAPHE . CONIVGI . CARISSIMAE
T . CAESIVS . AGATHO . SIBI . ET
CAESIAE . PERSIDI . CONIVGI . CARISSIMAE
T . CAESIVS , T . F . SER . PERSICVS
VIXIT . ANNIS . II . MENSIBVS . VI

Apud Hieronymum Pichium :

D . IVNIO . HERMETI . CONIVGI . KARISSIMO
D . IVNIO . D . F . DECEMBRO . VIX . ANN . IX . M . VI
ET . P . NONIO . NVMERIANO . VIX . ANN . XIV . M . VII
FILIS . DVLCISSIMIS . ET . LIBERTIS
LIBERTABVSQVE . POSTER . EORVM
FECIT
NVMERIA . MAXIMILLA . MATER . INFELICISS

Apud Octauium Pantagathum, ad S. Mariae in Via:

D . M . CN . DOMITIO . VITALIONI
VIXIT . ANN . XIII . MENS . XI . DIEBVS . XXIII
CN . DOMITIVS . THALLVS . ET . IVNIA
CHARIS . FILIO . BENEMERENTI . FECE
RVNT . ET . SIBI . LIBERTIS . LIBERTABVS
QVE . POSTERISQVE . EORVM

Ad

Ad Columnam Antonini:

D . M
T . FLAVIO . T . F
VIBIANO . VIXIT . ANN
VNO . MENS
V I I I
PARENTES
INFELICISSI
MI . FECER

Ad S. Paulum:

D . M
M . P A C O N I O
F E L I C I . F I L I O
SVO . B . M . ARTI
CVLEIA . EVTHI
C I A . M A T E R
FECIT . VIXIT . AN
NIS . VI . DIEBVS . XIIX
HOR . VIIII . LIBER
LIBERTABVSQ . SVIS
POSTERISQ . EORVM
S . T . T . L . IN . F . P . VIII
N . AGRO . P . VIII

In via publ. ad S. Crucis in Hierusalem:

D I S , M A N I B
T . F L A V I . F E L I C I S

T.

T. FLAVIVS
SVCCESSVS. AVG. L.
TABVLARIVS
MARMORVM
LVNENSIVM
LIBERTO. KARISSIMO
ANNOS. VIXIT. X
MENSIBVS. VII. DIEBVS. XXIII
IN. F. P. XXV. IN. AG. P. XXXXV. ITV
AMBITV. AQVAE. PRAESTAND

Apud Maffeios:

SEX. TRVTTEDIO. SEX. F
POL. MAXIMIANO
EVIT. AD. SVPEROS. MENSES. VII
TRVTTEDIVS. CLEMENS
TRIB. COH. II. VIG
ET. MARINIA. PROCVLA
FILIO. KARISSIMO

Ad S. Paulli:

DIS. MANIBVS
L. NONIO. QVETO
V. A. VIII. M. III. D. VII
NONIA. QVETE
MATER
FILIO. DVLCISSIM
FECIT
IVLIVS. VITALIIS. LOCV
ET. ARA. DON

Ibidem:

A. FVLVI. A. F
CE.

CELERIS . FECIT
L . OPPIVS . VALERIANVS
FILIO . NATVRALI . QVI . VIXIT
ANNIS . XV . MESES . VIII . DIES . VIII

Et:

M . VLPIO . FELICISSIMO . VIXIT . ANN . IIII . DIEB . V
M . VLPIVS . AVG . LIB . MEROP . ET . FLAVIA . PHOEBAS
INFELICISSIMI . ET . MVLVIVS . PRIMIGENIVS . ET
CAPRIOLA . NVTRICII . ALVMNO . PIISIMO

Apud Ferratinos:

TI . CLAVDIO . TI . F . CAMIL
SOTERICHO
VIXIT . ANNIS . DVOBVS . MENSIBVS . XI
DIEBVS . X . H . III . FECIT
TI . CLAVDIVS . SOTERICHVS
INFELICISSIMVS . PATER . AETERNO
DOLORE . ADFLICTVS . ET . SIBI . ET . CLAVDIÆ . EXOCHE
CONIVGI . SVAE . ET . LIBERTIS . LIBERTABVQVE
POSTERIS . EORVM

Et:

C . IVLIO . C . F
METRODORO
VIX . ANN . IIII
MENS . IIII
D . XXVII

Apud Matthæios, Trans Tiberim:

M . CARENIO . M . F
VENVSTO

Q.V.

Q . V . AN . VIII . M . X
M . CARENIVS . FELIX
ET . CARENIA . VENVSTA
INFELICISSIMI . PARENTES . FIL

In aede S. Saluatoris in Lauro:

CN . POMPEIVS . CN . F . PRIS
CVS . VIXIT . ANN . ET . M . VI
POMPEIA . CN . F . PROCVLA
VIXIT . MENSES . XI
POMPEIVS . TVSCVS . FILIS . SVIS
POMPEIA . CN . L . PRIMI
GENIA . M . EOR

In aedibus Vignolae:

Q . CORNELIO
EVCARPO . V . A
XII . M . V . D . XX
PARENTES
FILIO . CARISSIMO

In Capitolio:

Q . OSTORIVS
Q . F . LICINIANVS
VIXIT . ANN . IX . ET
MENSES . III

Ad S. Petrum:

L . LEPIDIVS . L . LIB . HERMES
NEGOTIATOR . AERARIVS . ET
FERRARIVS . SVB . AEDE . FORTVNAE

AD.LACVM.ARETIS, ET
OBELLIA.THREPTE
FECERVNT
L.LEPIDIO.L.F.PAL.HERMEROTI
QVI.VIXIT.ANNIS.VIII.MENSE.I.DIEBVS.XXII.ET
LEPIDIAE.L.L.LVCVLLAE
QVAE.VIXIT.ANNIS.V.DIEBVS.VIII
FILIS.DVLCISSIMIS.ET.PIISSIMIS.ERGA.SE.ET
LIB.LIBERTABVSQVE.POST.QVE.EORVM
HAEC.TABER.CVM.AEDIF.HVIVS.MONVM
(TVTELA.EST (SEQVET
H.M.SIVE.AEDIFICIVM.QVOD.EST.HEREDEM.NON

In templo S.Laurentij in Lucina:

TI.CL.EVTYCHE.TI.F
QVI.VIXIT.ANNO.VNO
M.VIII.D.XXVIII.CLAVDIVS
EVTYCHES.FILIO
DVLCISSIMO

Apud Orsinum:

D.M
L.PRECILIO.ROMANO
VIXIT.ANNIS.VIIII.MENSIB.VIII.DIEBVS.XII
L.PRECILIVS.APOLLONIVS.ET
FABIA.TACHINE.FILIO.DVLCISSIMO
FECERVNT.ET.SIBI.CALLISTVS.FRATER.EIVS
ET.SVIS.LIBERTIS.LIBERTABVSQVE.POSTERISQVE
EORVM.H.M.D.M.A

In templo S.Chrysogoni:

C.IVLIO.IVLIANO
VIX.AN.VIII.MEN.X

DIE-

DIEBVS . XVII
IVLIA . NICE
VERNAE . B . M . FECIT

In aede S. Franciſci, Trans Tiberim:

L . TARQVITIO . MARCIANO
FILIO . DVLCISSIMO
QVI . VIXIT . ANNIS . VIIII . MENS . VI
DIEBVS . XVIIII . HORIS . XI
L . TARQVITIVS . TROPHIMVS
ET . TARQVITIA . EVTYCHE
PARENTES . FILIO . DVLCISSIMO
FECERVNT . CVIVS . CORPVS CAVSA
PONDERIS . ANTE . ARA . POSITV . EST

Ad aedes de Valle:

DIS . MAN
C . NONI . CERVSI
SACERDOTIS . CABESIS
MONTIS . ALBANI
CVRIONIS
C . NONIVS . IVSTINVS
ALVMNO . DVLCISSIMO
VIXIT . ANN . II . M . XI . D . XIII

In aedibus Vall:

CN . ANTONIVS . AGA
THOPVS . ET . ANTONIA
AMPLIATA . CN . ANTONI
O . AMPLIATO . FILIO . DVL
CISSIMO . QVI . VIXIT . ANNI
XIII . MEN . VIIII . D . V . HO . III
FECERVNT . PARENTES . INFE

LICISSIMI ET SIBI ET SVIS L L P Q
EORVM

In Hortis Carp.

M . CAECILI . AVGVS
TIN . V . A . VIII . M . IX
D . XXIII . M . CAECILIVS
CALLISTIANVS
ALVMNO . KARISSIMO

Ibidem:

D . M
Q . VOLVSIO . AVGVSTALI
VIX . ANNVM . M . D . XXI
Q . VOLVSIVS . DEXTER
VERNAE . SVO . FECIT

Ibidem:

P . SCANTIO . IVLIANO
P . SCANTIVS
AVGVSTALIS . PATER . ET
SERVILIA . C . F . ISIAS
MATER . FILIO . PIISSIMO
FECERVNT
QVI . VIXIT . ANN . VIII
MENS . V . DIEB . XII . HOR . VI
CVIVS : ANNOS . INGENIVM
EXCEDEBAT

Ad

Ad Basil. S. Mariae Maioris:

MEMORIAE
M. NONI. PLACIDI
V. A. XXVII. M. VIII. D. XII
AB. ANNO. AETATIS. SVAE
XII. OCVLIS. PATENTIBVS
VIDIT. NIHIL

Ob rei nouitatem appinxi Epiraphiũ Nonij, quamuis sit longe supra xvii. annos.

In Hortis Pontif. Vatic.

D. M.
M. FABIO. M. F. FABIANO. VIX
ANNOS. VIIII. DIES. XXX. FABIA. C. F
SABINA. MATER. FEC. FIL. DVLCIS
SIMO. PIISSIMOQ. ET. SIBI. LIBER
TIS. LIBERTABVSQ. SVIS. POSTE
RISQ. VTRIVSQ. SEXVS. EORVM
IN. FR. P. VII. IN. AG. P. VII

Ibidem:

D. M.
M. VLPI. FAVSTI. VIXIT
ANNIS. X. MENSIBVS. V
DIEBVS. XVIII
M. VLPIVS. ANTAS. AEDITVVS
AEDIS. CONCORDIAE. FILIO
DVLCISSIMO. SIBI. ET
COIVGI. FECIT

Ibidem:

L. CASSI. ABILEI
VIXIT. ANNIS
SEX. MENSI
BVS. II. DIEB
OCTO

Ad

Ad S. Paulli:

D . MANIBVS
MEMMIAE . ROMANAE
PATRONAE . BENEMERENTI . ET
A . MEMMIO . TELESINIANO . F . SVO
QVI . V . A . II . D . XXXVIIII . H . X

In Insula Tiberina:

T . SEXTIVS . T . L . HOSPES
SIBI . ET . SVIS
SEXTIAE . T . L . HELENE
T . SEXTIO . T . L . APOLLONIO
T . SEXTIVS . T . F . SABINVS . VIXIT . ANNOS . II

In Arce S. Angeli:

POST . TITVL
QVOQVO . VERS . P . III
DIS . MANIBVS
SACRVM
L . VALERIO . INFANTI
RAPTVS . QVI . EST . SVBITO
QVO . FATO . NON . SCITVR
NATVS . NOCTIS . H . VI
VIXIT . DIEBVS . LXXI
ABIT . NOCTIS . AB . H . VI
QVISQVIS . EVM . LAESIT
SIC . CVM . SVIS . VALEAT
IN . FRONTES . DVO . P . TER
ET . IN . LATERA . DVO . P . TER

Ad Pontem Miluium:

C . TVTICANO
SOPHRONI

VIXIT . A . III
MENS . VIIII
DIEBVS . XV
C . TVTICANVS
SOPHRO
PATER

Ad S. Andream, prope Collem hortulorum, apud Alexandrum Rŏdonum, Statuarium, ad quem, superioribus diebus, a Fuluio Vrsino, viro totius antiquitatis perit issimo, admonitus, adij, lapidem inspexi, descripsi:

L . IVLIVS . GAMVS
DIIS . MANIBVS
L . IVLI . MARCELLI
NEPOTIS . SVI
VIXIT . ANN . V
DIEB . XXXI
CORPVS . INTEGRVM
CONDITVM
SARCOPHAGO

Apud Aldum Manucium, virum eruditissimum, qui vndiq. veterum monumenta, quod superioribus annis potentiores factitabant, coemere, ac colligere numquam desistit, inq. eam rem sumptus facit vltra fere, quam rationes eius ferant:

DIIS . MANIBVS . SACRVM
M . STATI . M . F . GAL . MANLIANI
VIXIT . ANNIS . VIII . DIEB . XIII
M . STATIVS . M . L . LAVTVS . PATER
MANLIA . C . L . LASCIVA . MATER
FE-

FECERVNT. FILIO. ET. SIBI
POSTERISQVE. SVIS

Testimonia eiusmodi tot tantaq. sunt, vt iam ne dubitandi quidem de Puerorum Praenominibus locus futurus sit amplius.

FINIS.

Et hanc quoq. scriptionem censeo posse imprimi. 19. Nouembris. 1593.

M. A. Maffa.

Imprimatur.
F. P. Ioannes Saragoça, Magister, & socius
Reuerendissimi Magistri Sacri Palatij.

Imprimatur.
M. Antonius Vicesgerens.

DE VERGILI NOMINIS SCRIBENDI RECTA RATIONE COMMENTARIVS

ET ADVERSVS FEMINARVM PRAENOMINVM ASSERTORES DISPVTATIO

IOSEPHI CASTALIONIS IVRISCONSVLTI

AD ALBERTVM BVTRIOLIVM

ROMAE, Ex Typographia Bartholomaei Bonfadini. 1594

SVPERIORVM PERMISSV

ALBERTO BVTRIOLIO

IOSEPHVS. CASTALIO S. P. D.

VERGILIVM Maronem, ſummi ingenij Poetam, & ad res Romanas ab obliuione vindicandas natum, omnes omniũ aetatum viri ſuſpexere. Nomen eius vt nemo ignorauit, ſic gentile eſſe, & Romanae Vergiliorum gentis, in quam receptum fuiſſe apparet, ante nos docuit nemo. Fuit quidem inter eruditos viros con-

trouerſia de eius nominis ſcribendi ratione. Sed nemo, quod ſciam, in eam diſputationem ingreſſus eſt, vt Vergilium Ciuitatem Romanam iure conſecutum eſſe, & Vergiliae genti inſertum, vel ex nominis gentilicij veſtigijs, & Romanorum more oſtenderet. id aliquando nos praeſtitimus, & eorum ſententiam confirmauimus, qui primam eius nominis vocalem, per ſecundam vocalem, non autem per tertiam ſcribendam eſſe cenſuerunt. Ad eam rem lapidis teſtimonio nuper reperti extra Portam Maiorem via Praeneſtina vſi ſumus. Eiuſdem inſcriptionis auctoritatem ſecuti, Feminis antiquis apud Romanos Praenomina fuiſſe negauimus. Cum vero docti quidam viri aliter ſentire viderentur, aduerſus eorum ſententiam, complurium lapidum conſenſu vtendum mihi fuit. Has autem Commentationes meas, quas Paulli Tegij, viri doctiſsimi, atque optimi, impulſu inſtitui, Tibi, Alberte ornatiſsime, dedico, qui Vergiliae gentis nomen cum hereditate per patruorum manus tra-

dita

dita aſsumere iuberis. Siquidem Obizius Butriolius, Patruus tuus, Sanctorum Mauritij, & Lazari Eques ſplendidiſsimus, a Ioanne Franciſco Vergilio heres inſtitutus, & in nomen adſcitus, Verginium Fratrem, cuius fidem, pietatem, & humanitatem ſuſpicimus, & admiramur, allegit: is in te ius omne tranſmittit. Quare, quod ad Vergilianum nomen ſpectat, id ad te referendum eſt. Huc accedit, quod Vergilij Maronis granditatem exprimere imitando eniteris, & ad virtutem Poetae verſibus incitaris, quamquam te cum indoles, tum educatio, & maiorum tuorum exemplum ad honeſtatem impellit. Iacobi, Patris tui, viri humaniſſimi, & ciuis optimi, memoriam Bononienſes iucunde, ac pie recolunt. Albertus, Auus tuus, tantam in reſpondendo, cauſisq. agendis, gratiam conſecutus eſt, adeoq. non ſolum tuendae, ſed etiam augendae Bononienſium ditionis, & immunitatum ſtudioſus fuit, vt Patriae patronus haberetur, & a Ciuitate multoties Romam ad Iulium Ter-

tium

tium Pontificem Maximum, cui ob incredibilem iuris prudentiam & virtutem cariſsimus extitit, atque ad alios Pontifices, eo nomine miſſus ſit; ac ſaepe cum Florentinis, Piſtorienſibus, ac Ferrarienſibus finitimis de finibus libere diſceptauerit. Jam vero, quis Iacobi, Proaui tui, Iuriſconſulti, fidem, & conſtantiam non obſtupeſcat; qui, cum ab ijs, quibus ſemel adhaeſerat, ſeiungi honeſte non poſſe videretur, grauiſsimis affici damnis, quam officium deſerere maluit. Sed, quid ego maiorum tuorum laudes ad te inflammandum recenſeo? Tu ſponte tua ad rectum honeſtumque contendis. Tu litterarum ſtudijs ita deditus es, vt eruditionis, & elegantiae laudem facile ſis conſecuturus. Tu modeſtia, temperantia, & grauitate in ipſo iuuentutis flore moderatiſsimos ſenes refers. Quare minus ſane mirandum eſt, ſi a Gabriele S. R. E. Cardinali Ampliſsimo, & Camillo Bononienſi Senatore Clariſsimo Pallaeottis, Fratribus, Dorotheae, Auiae tue, lectiſsimae

femi-

feminae, Patruelibus tantopere diligeris. A te autem peto, vt has disputationes meas tibi omnino tuendas arbitrere. Vale. Pridie Kalendas Martias. M. D. XCIV.

IOSEPHI CASTALIONIS IVRISCONSVLTI

De recta scribendi Vergili nominis ratione Commentarius.

Eiusdem

Aduersus eos,

Qui praenomina Feminis fuisse affirmant,

Disputatio.

INcredibili me nuper voluptate perfudit Vergiliorum nomen in marmore peruetusto inscalptum, quod extra Vrbem superioribus mensibus effossum, nunc apud Lapicidinam, in area sancti Laurentij in Lucina, prostat. Eius enim testimonio doctissimorum hominum sententiam de recta Vergiliani nominis scribendi ratione cõfirmari, eorumq. refelli argumenta, qui Feminas praenominibus vsas esse contendunt, animaduerti. Angelus quidem Politianus Miscellaneorum capite LXXVII. Vergilium per secundam vocalem, non autem per tertiã,

efferendum, ac scribendum esse Latine, perinde ac vulgari in Italia sermone proferimus, & lapidibus antiquis, & libris manuscriptis auctoribus, censuit. Ei Achilles Statius Lusitanus, vir totius antiquitatis peritissimus, qui mihi in his studiis, dum vixit, maximo adiumento fuit, astipulatur, quod ex eius in Verg. notis, & in Horatium lucu lentis Commentariis, si quando alicuius potentis viri beneficio in lucem prodibunt, intelligetur. Ego in tantorum hominum sententiam, qui semel concesserim, ab ea numquam diuellar. Nec me mouet, quod Pierius aduersus eam scripserit. si quidem gentem Vergiliam in antiquis monumentis est legere. Et apud Cic. & Hirtium M. & C. Vergiliorum fit mentio. In hanc autem ipsam gentem adscitum esse Maronem nostrum Mantua ortum, facile mihi persuadeo; eiusq. praenomen, ac nomen sumpsisse, cuius vel beneficio ciuitatem Romanam consecutus, vel familiaritate vsus sit, crediderim. Extant vtriusque causae apud Ciceronem exempla, qui ad Acilium Proconsulem libro Epistolarum Fam. 13. sic scribit: *C. Auianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & praeter hospitium, valde etiam familiaris: quem Caesar, meo beneficio, in Nouocomenses rettulit. nomen autem Auiani consecutus est, quod homine nullo plus est vsus, quam Flacco Auiano.* Et ad eundem: *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. ei Dolabella, rogatu meo, ciuitatem a Caesare impetrauit. qua in re ego interfui. itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Haec Cicero. Itaque statuamus, Poetam Vergiliae gentis nomen tulisse. Gentis autem & familiae Romanae, Vergilius, nomen est antiquum, ac longe supra Poetae memoriam. Ridiculum sane est, quod nonnulli de Laurea Virga somniarunt, vnde factum Poetae nomen sunt commenti. Non enim, dicam iterum, ac tertio, Vergilium nomen poeta primus inuenit, neque Vergiliani generis auctor fuit. Sed multis

tis ante ipsum natum saeculis gentem Vergiliam,& Vergilium nomen inuenio. Ac scio, nouos ciues, veterum ciuium nomina accepisse, non sua in ciuitatem intulisse. Cum vero tria nomina, quibus Ciues tantum Romani vtebantur, praenomen, nomen, cognomen, poetarum principi Vergilio Maroni fuisse constet, eidem quoque ciuitatem datam gentem,& tribum fateamur necesse est. Gentis autem Vergiliae nomen, vel ex hoc, quod supra laudaui, marmore quomodo scribendum sit, intelligi potest.

M. VERGILIVS.M.L.ANTIOCHVS.VNGVENT
VERGILIA. M. L. HELENA
M. VERGILIVS. M. L. HILARVS. MAIOR
M. VERGILIVS. M. L. LVCVLLVS

Eandem scribendi rationem retinet aliud marmor, quod est ad S.Onuphrium:

M. VERGILIO
M. F. LEM
PROCVLO

Et aliud in hortis Carpensibus:

D. M. FESTO
VERGILIO
FORTVNATAE. SER
OPTIMO. BENEMER
FECIT. IPSA. QVI. VIXIT
ANN. XIII

Et in Hortis Colotianis:

C. VERGILIVS. MARTA
NVS. COLONVS. &c.

Hos ego lapides conſpexi, legi, deſcripſi. quorum con ſenſu Vergilium, non Virgilium, ſcribendum eſſe conſtituo. Huc accedit, quod Vaticanae Bibliothecae liber ille vetuſtiſſimus hanc ipſam tuetur ſecundam vocalem in Vergilio, Eandem ſcripturam retinet Carpenſis liber, qui nunc eſt Florentiae cum Pandectis.

Ex Aldi Orthographia : [illegible]

C . VERGILIVS . STRABO

Ex Pierio :

M . VERGILIVS . NARCISSVS
VIXIT . ANN . XIIII

Ex Politiano:

TI . VERGILIVS . DONATVS
Et:
C . PAPIRIVS . CESTVS . VERGILIAE
OPTATAE . VXORI . SVAE . BENE
MERENTI . DE . SE

Volſinij :

VERGILI

Ceterum Maronis cognomen Valeriae quoque genti appoſitum reperio in peruetuſto lapide, qui eſt apud Moronos:

SOMN . AETER
Q . VALERIO
MARON . IVN
QVI . VIX
ANN . IIII
MENSIBVS . VI
DIEB . VII

Som-

Somnum item Aeternalē Patauina inſcriptio tuetur. Cum quo Horatianum illud congruit:

Ergo Quinctilium perpetuus ſopor
Vrget?

De tribu, in qua cenſeretur Poeta, quid dicam, non habeo: non enim in libris Vergilianis eſt addita, vt in illa inſcriptione, quam ſupra rettulimus:

M. VERGILIO
M. F. LEM

id eſt, Lemonia, nomen tribus, vt ſit, ex tribu Lemonia, cuius & Seruius Sulpicius fuerat: de quo Cicero Philippica ix. ſic: *Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus.* Nomen autem tribus poſt patris praenomen & ante familiae cognomen plerumq. interponi ſolebat, vt ex hoc Ciceronis loco apparet, & ex Coelij ad Cic. epiſtola. Veteres quoque fere ad vnum inſcriptiones aſſentiunt. Reliquum eſt, vt ad eā Inſcriptionis noſtrae partem aggrediar, qua illorum opiniones, qui praenomina feminis tribuunt, refelli dixerā.

IOSEPHI

CASTALIONIS

IVRISCONSVLTI

Aduersus Feminarum Praenominum assertores Disputatio.

VERGILIA . M . L . HELENA

MAribus praenomina praepositā hoc in loco, feminae non item, videmus. Mirari satis non possum, quamobrem docti quidam viri ea de re, contra quam Populi Romani mos & vsus foret, disseruerint. Fuerint primis Reipub. temporibus mulierum propria nomina, cum non esset haec nominum ratio distincta: referat M. Varro perpauca quaedam mulierum antiquarum praenomina, eius tamen temporis, quo singulis singula vel ad summum bina essent. Mihi quidē vnum illud, quod a Panuinio ex Cicerone laudatur, a me tamen nusquā in Cicerone repertū, ad omnia istorum argumēta subuertenda validissimū videretur. *Habuit*, inquit, *praenomen nescio quid virilitatis, et dignitatis.* Ex quo inferri sane posset, ad viros tantū praenomina, quae virilitatem referant, pertinere. Huc accedit, quod Plutarchus

chus scribit,viris tria,mulieribus duo apud Romanos nomina fuisse. Praeterea, cum neque in Liuio, neque in Dionysio feminarum praenomina inueniantur, quis est, qui praenominibus mulieres Romanas vsas esse comminiscatur? Caiae praenomen omnibus feminis commune fuisse concedo: nullam tamen fere vsam adiungo, nisi ad eius gentis,familiae ve feminam quamuis ostendendā, idq. inuersa plerunq. C.litterae,seu secundae mutae nota,sic,Ↄ.L.idest Caiae Libertus. Mulieres quippe gentilicio nomine vtebantur,adiecto cognomine, vel a numero,vt Claudia prima,secunda,tertia, quarta, quincta, & deinceps;vel ab aetate, vt Antonia minor; vel aliunde, vt Drusilla,& Domitilla. cognominibus enim tantum feminae distinguebantur, perinde ac mares praenominibus.quod Antonius Augustinus vir clarissimus Dialogo decimo eruditissime,ac verissime differit. Carolus autem Sigonius libro Emendationum secundo aduersus Robortellum,longe aliter sentit, feminisq. praenomina attribuit:cui non assentimus. Verum nostram sententiam lapidum testimonio,consensu,vsu ipso confirmemus. Id fiet,si nonnullas dumtaxat inscriptiones proferemus,quarum pleraq. marium simul & feminarum nomina contineāt. Nam vniuersas nostra manu descriptas,& in libros relatas recènsere si esset consilium,immensam in molem excresceret liber.

Apud Caesios:

D I S . M A N I B V S
CN . OFILLIO . CN . F . QVIR . PISONI
V . A . XXIII . M . IX . D . X
CN.OFILLIO.CN.F.QVIR.FRVGI.V.A.XVIII.M.II
C N . O F I L L I V S . S V C C E S S V S . E T
ANTONIA . RESTITVTA . PARENTES . FILIS
PIENTISSIMIS . FECERVNT . ET . SVIS
LIBERTIS.LIBERTABVSQ.POSTERISQ.EORVM

Ofillijs Cnaei praenomen, Antoniae nullum tributū legimus.

legimus. Q V I R. tribum Quirinã significat, eamq. ablatiuo casu efferebant.

In Hortis Carpensibus:

D I S . M A N I B V S
S A C R V M
H E R B A S I A E
C L Y M E N E S
S E X . H E R B A S I V S
N A V T I L V S . S I B I . E T
C O N I V G I . S V A E
S A N C T I S S I M A E . F E C
I N . F R . P . X V I I I . I N . A G R . P . X V I I I

I N . F R. ideſt In fronte. In AGR. ideſt, vt inquit Horatius:

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne ſequeretur.

In fronte autem, eſt, ſecundum viam; In agrum vero, id eſt, a via in ipſum agrum.

Et:

D I S . M A N I B V S
M . C O C C E I . S P . F
A V G V S T A L I S
V I X . A N N . X V I I I
M E N S . V I I I . D I E B . X I I I
C O C C E I A . A V G . L I B
P L V T I N . M A T E R
F I L I O . P I I S S I M O

Et:

D . M . S
D . L V C I L I O . D . F . T E R M I N A L I
V I X I T

VIXIT . ANN . XXV . M . V . D . X
L V C I L I A . H E L P I S . M A T E R
B E N E M E R E N T I . F E C I T

In hortis Carpenſib.

D . M
C N . C O R N E L I O
C N . F . S A B
M V S A E O
MANCIPI . VIAE. APPIAE
HERENNIA . PRISCILLA
C O N I V G I
B E N E M E R E N T I
F E C I T

SAB. ideſt Sabatina, nomen tribus.

Ibidem:

M . ANNAEVS . C . L . MARIO
A N N A E A . PHILVMINA
A . CORFINIVS . A . L . ISAVRVS
A N N A E A . C . L . P R I M A
SEX . AEMILIVS . SEX . ↄ . L . ERO
C A S S I A . C . L . C A L E
IN . FRONT. P. XVI. IN. AGR. P. XII

In Muſaeo Carpenſi:

D . M
P . SCANTIO . IVLIANO
P . S C A N T I V S
AVGVSTALIS . PATER . ET

SERVILIA. C. F. ISIAS
MATER. FILIO. PIISSIMO
FECERVNT
QVI. VIXIT. ANN. VIII
MENS. V. DIEB. XII. HOR. VI
CVIVS. ANNOS. INGENIVM
EXCEDEBAT

Apud Hieronymum Lenium:

CALIDIA. Q. L HELENA
Q. CALIDIVS. Q. L VARRO
Q. CALIDIVS. Q. Q. Q. L THEOPHILVS

Hic illud notandum eſt, tres illas ſingulares litteras, Q. interpunctionibus diſtinctas, ſignificare tres Quinctos, vt ſit, Q. Calidius Quinctorum libertus. Sunt, qui putent hos fratres: nam plures fratres eodem praenomine vſos ignorat nemo, qui in Romana antiquitate cognoſcenda ſit verſatus. ſic Appios Claudios fratres, Maioris & Minoris cognomine diſcretos Pedianus in Ciceronem prodit. Ego vero collibertos etiam puto, quibus tamen fuerit alius libertus communis. Duos quoque ſiue fratres, ſiue collibertos in templo ſancti Euſtachij legimus:

DIS. MANIBVS
T. FLAVIO. AVG. L
HARMODIO
Q. Q. CALIDII. EROS. ET
HERMES. BENE. MERENTI

Fratres certo certius ſunt, qui ſequuntur.

In Hortis Carpenſibus:

T. FLAVIO. RVF

T.T.

T . T . FLAVII
VENVSTVS . ET
SATVRNINVS
FRATRI
PIENTISSIMO
FECERVNT

In ambiguo ſunt, quos adiunximus.

In aedibus Bubalorum, ad Aquam Virginem.

T . T . AQVILLIS . T . T
L . TROPHIMO . ET
CISSO . FECIT . T . AQVIL
LIVS . T . T . L . ZOSIMVS
LIB . LIBER . POSTERISQVE
SVORVM
HOC . MONVMENTVM . VENIRE
NON . LICEBIT

Et apud Scappuccios:

L . FVFICIVS . L . L . L
AMARANTHVS

L . FVFICIVS . L . L . L
PAMPHILVS

Sed ad feminas praenominum expertes reuertamur.

Fuerat apud Maffaeos ſuperioribus annis lapis:

CORNELIAE
PROCVLA . ET
PLACIDA . FECER
Q . CORNELIO . SENE
CIONI . PROCVLO
PRAETORICIO . LE
GATO . PROVIN

CIAE . ASIAE . FRA
TRI . BENE . MEREN
T I

Quis hic non videt, sorores cognominibus dūtaxat distinctas, fratrem vero praenomine, & cognomine auctū? Eadem fere ratio obseruata est in hac inscriptione,

Apud Horatium Fuscum.

P . MANLIO . FVSCO
IAVOLENAE
MARCIA . ET . SOSIBIA
FILIAE . PATRI
PIISSIMO . ET
IAVOLENA . SOSIBIA
MARITO . OPTIMO

Ridiculum certe est, quod a nuptiis praenomina sumpsisse feminas opinātur. Ego clarissimam feminam, quae Ciceronis memoria vixisse creditur, nomine & cognomine familiae suae, patris etiam praenomine, & agnomine, vt vocant, mariti insuper cognomine demonstratam video, monumento etiam nunc insigni extra portam Capenam, via Appia, ad S. Sebastianum:

CAECILIAE
Q . CRETICI . F
METELLAE . CRASSI

Qua vna inscriptione, nihil elegantius fieri potest, eadem ad rem, qua de agimus, mirifice pertinet, CRASSI. subintelligitur, vxori. Tale est illud 3. Aeneid.

Hectoris Andromache.

Ideſt, Andromache, vxor Hectoris.

Lucanus lib. 2.

——*liceat tumulo scripsisse Catonis*
Marcia. deest, Vxor.

Sed

Sed pergamus.

In Hortis Carpensibus:

L . VALERIVS . L . LL . VALERIVS . L . ↄ . L
ALEXANDER . SIBI . ET . S SELEVCVS . SIBI . ET . SVIS
VALERIA . L . L . ATTICE VALERIA . L . ↄ . L . ARTEMIS
L . VALERIVS . L . L . LIMENE L . VALERIVS . L . ↄ . L . HYLLVS
VALERIA . L . L . IRENE L . VALERIVS . L . ↄ . L . PHILEROS
L . VALERIVS . L . L . FAVSTVS L . VALERIVS . L . ↄ . L . DIOGENES
VALERIA . L . L . VRBANA VALERIA . L . ↄ . L . MARTA
VALERIA . L . F . ATTICE L . VALERIVS . VRBANVS
L . VALERIVS . L . L . IANVARIVS VALERIA . ARESCVSA

Collibertos, Collibertasq. fere non fratres & sorores dixerim. qui enim fieri potest, vt sexdecim vno tempore fratres, sororesq. adoleuerint, monumentumq. communi nomine, ac sumptu exstruxerint? Quid autem hoc luculentius, quid apertius ad feminarum praenomina disturbanda testimonium? Viris quippe Luci praenomen praepositum, feminis vero nullum videmus, excepta inuersa illa secundae mutae nota, qua ad feminarum libertos compendio significandos vtebantur, hoc modo, ↄ . L. idest Caiae libertus, & sic L . ↄ . id est Lucii, & Caiae libertus, pro Lucii & Luciae, quod tamen feminini generis praenomen non adhibebant, sed pro eo, Caiam reponebant, atq. in eius locū subrogabant. Nam Caiae praenomen feminis omnibus tribuebatur, cum esset mulieris libertus ostendendus, ne cognominis productiore vocabulo vti cogerentur, hoc pacto, Arescusae libertus. Quod tamen ipsum factitatum esse interdum probare possumus.

Apud Caesios:

DIS . MANIBVS
L . MVNATI
PLAN-

PLANCINAE . L
POLYCLETI
&:
T. CAESIVS. PRISCILLAE. L. HERMES
POSTVMIANVS . SIBI . ET
CAESIAE. ANAPHE. CONIVGI. CARISSIMAE
T . CAESIVS . AGATHO . SIBI : ET
CAESIAE. PERSIDI. CONIVGI . CARISSIMAE
T . CAESIVS . T . F . SER . PERSICVS
VIXIT . ANNIS . II . MENSIBVS . VI

Apud Iulium Cocceianum:

COCCEIA
PARHEDRI . L . TELETE

In Hortis Carpenſibus:

LIVIA . VRTICVLAE
L . AGLAIS
M . LIVIVS . VRTICVLAE
L . PACHINVS

Quod & in maribus receptum fuiſſe apparet:

C . IVLIVS . POSTVMI. L. EVCOMVS
IVLIAE . POSTVMI. L. LYRIDI. F. ET
FAVSTILLAE . MATRI . EIVS

In Hortis Mediceis:

C . IVLIO
LVCIFERI . FILIO
POSPHORO
ARCHITECT . AVG
CLAVDIA . STRATONICE
VXOR

VXOR . VIRO
OPTIMO

Additum praenomen cognomini in quibuſdam reperio:

Q . CRETICI . F

Apud Fuſconios:

LEIBERTORVM . ET . LEIBERTAR
C . MAECENATIS . L . F . POM
POSTERISQVE.EORVM.ET.QVI.AD.ID
TVENDVM . CONTVLERVNT
CONTVLERINT

POM. Id eſt, Ex tribu Pomptina.

Eundem quoque vſum praeſtitit familiae nomen cum praenomine,

In hortis Carpenſibus:

COTTIA . A . COTTI . F . GALLA
TESTAMENTO . FIERI . IVSSIT
A . COTTIO . PATRI . PRO . COS
HISPANIAE . ET . PACVLLAE . MATRI . ET
A . COTTIO . FRATRI . QVAESTORI . AED
PLEBI . ET . MEMMIAE . GALLAE . AVIAE
HVIC . MONVMENTO . TVTELAE . NOMINE
CEDVNT . AGRI . PVRI . IVGERA . DECEM . ET
TABERNA . QVAE . PROXIME . EVM . LOCVM . EST

Item praenomen, nomen, & cognomen ex abundanti adiuncta ad libertam oſtendendam video.

Apud Caeſios:

VIPSANIA . M . VIPSANI
MV-

MVSAEI . L . THALASSA
SIBI . ET
TI. CLAVDIO. AVG. L. EPICTETO

In Hortis Carpensibus:

HOSTILIA . SALVIA
D . HOSTILI
ONESIMI . MAIORIS
LIBERTA . HIC
CONDITA . EST . VIXIT
ANNIS . XXI

Extra Portam Maiorem, in Vinea Saccociorum:

D . M
TETTIAE . PRIMAE
VIXIT . ANNIS . L
M . VLPIO . MACEDONI
V . A . LXXX
SEX. TETTIVS. MACEDO. F
PARENTIBVS

Cis Pontem Miluium.

DIS . MANIBVS
SACR . Q . CORNE
LIVS . HERMA . ET . CAS
SIA . LAIS . FECERVNT
SIBI . ET . SVIS . LIB . LIBER
TABVS . POSTERISQVE . EORVM
HOC . MONVMENTVM
EXTERVM. HEREDEM. NON. SEQVITVR

Et

Et:

C . TVTICANO
CALLISTO . ET
VALERIAE
SATVRNINAE
C . TVTICANVS
MAXIMVS
MAMMAE
SVAE . BENEMERN
TI . FECIT

Et:

D . M
L . IVLI . GENNAE
VIXIT . A . XXXV
TVLLIA . ELPIS
CONIVGI . BENE
MERENTI . ET . L
IVLIVS . RESTITVTVS
FILIVS . FECERVNT
SIBI . ET . SVIS . POSTERIS
QVE . EORVM

Trans Pontem Miluium:

D . CAECILI . D . L . DEMETR
CAECILIAE . L . PRIMAE
P . CAECILI . D . L . HILARI
IN . FRON . P . XII
IN . AGR . P . XVI

Ad Templum Ieſu:

MAECILI . P . L . PAMPHILI . FRVM
EX . TESTAMENTO . ARBITR
P . MAECILI . P. L . NICOMEDIS . L . IVLI
L . L . SCANTIAE
S . P . F

Et:

DIS . MANIBVS
ANTONIAE . M . F
PANACES . VIX . ANN . IX
MENS . XI . DIEB . XIII
FILIAE . OPTIMAE . ET
PIISSIMAE
M. ANTONIVS. PAL. ALYPVS
ET . PAPINIA . ZOSIME
FECERVNT

Apud Delphinios:

DIS . MANIBVS
AVRELIAE
FORTVNATAE
VIX . ANN . XX
T . AVRELIVS
LEMNVS
VXORI . OPTIMAE

Apud Fabricium Vrſinum, in Campo Martio:

C . SALLVSTIO . PISANDRO
PATRONO . OPTIMO . ET
SAL-

SALLVSTIAE . TYCH·E . VXORI . CARISSIM
F E C I T
C . SALLVSTIVS . PISTVS . SIBI . ET
SALLVSTIAE . EVGENIAE . FIL . ET
LIBERTIS . LIBERTABVS . POSTERISQVE . EORVM

Et:

D I S . M A N I B V S
M . FABIVS . M . F . ESQ . REGILL . ET
FABIA . M . ET . ↄ . L I B . ARETE
. . . . . .
M . F A BI O . C H RYSA N TO
M . F A B I O . P H I L E T O
M . F A B I O . S A L V I O
M . F A B I O . H E R M E T I
F A B I A E . M I M E S I
M . F A B I O . A N T I G O N O

Apud Maffaeios:

D . M
M . A V R E L I V S
A N A T E L I O N
AVG . LIB . VIVVS . FEC
SIBI . ET . AEFLANIAE
BAEBIAE . CONIVGI . BENE
MERENTI . ET . LIBERIS
ITEM . LIBERTIS . LIBERTABVSQ
E O R V M

In Clino Capitolino:

C . TERENTIO . CL . PAMPHILO

SAGARIO.POST.AEDEM.CASTORIS
CALPVRNIAE . D . L . SALVIAE
MARIAE . L . F . RVFAE
C . TERENTIO . L . L . RVFIONI
TERENTIAE . C . L . POLINI
C . TERENTIVS . C . L . EROT
IEIS . OMNIBVS . QVI . SVPRASCRIPTI
SVNT . ET . SIBI . FACIVNDVM . CVRAVIT

Ad Columnam Antonini:

D . M
C . IVLIO . NERONI
VIXIT . ANNIS . LXXXII
MENSIB . III . DIEB . XXII
PARENTI . PIENTISS
FECERVNT
M . CORNELIVS . TI . F
SATVRNINVS . V
LEG . TI . AVG . ET
M . CORNELIVS . TI . F
IVLIANVS . FILI . PIISSIMI . ET
IVLIA . HIEROPHILA . CONIVNX

Et:

D . M
PLANCIAE
HELPIDI
C . IVLIVS
CARIPPVS

CON-

CONIVGI . B . M
FECIT

Et:

C . IVLIO . EVHODI : LIB
CORINTHO . ET
CALVIAE . GALATIAE
CONIVGI . EIVS
P . POMPONIVS . HERMES . ET
IVLIA . FORTVNATA . FECERVNT

Et:

DIS . MANIBVS
C . MVRDIO . FELICI
C . MVRDIVS . FELIX
PATRI
BENEMERENTI . FECIT
ET . SIBI . ET . SVIS . POSTERISQ .
EORVM . ET . TVLLIAE . HYGIAE
CONIVGI . EIVS
IN . F . P . . . IN A . P . . .

Et:

D . M
ARRIAE . IANVARIAE . VIX
ANN . VII . MENS . VIII . DIEB . VIII
TI . CLAVDIVS . POLYBIANVS
ET . ARRIA . AVGVSTALIS . ALV
MNAE

MNAE . CARISSIMAE . ET
FECERVNT . LIBERTIS . LIBER
TABVSQ . POSTERISQ . EORVM
T.AEL.AVGVS.LIB.TREPTIO.FECIT.ET.SIBI
ET . VXORI . AELIAE
CAPRIOLAE . B . M

In Aedibus Vallarum :

L . ANTESTIVS . CN . F . HOR
SARCVLO . SALIVS . ALBANVS
ANTESTIA . L . L . PLVTIA
FVFIA . P . F . TERTIA . SOROR
L . ANTESTIVS . L . L . QVINCTIO

L.ANTESTIVS.L.L.RVFVS L.ANTISTIVS.L.Ↄ.L.THAMYRVS

L.ANTISTIVS.L.Ↄ.L.ANTHVS L.ANTISTIVS.L.L.EROS.CAPPADOXS

Apud Crescentios :

C . FVFIO . ZMARAGDO
MARGARITARIO . DE
SACRA . VIA . ARBITRATV
FVFIAE . GALLAE . VXORIS
ET.ATIMETI.ET.ABASCANTI
LIBERTORVM
LIBERTIS . LIBERTABVS
POSTERISQVE . EORVM

Apud Marcellum Nerium :

I . O . M
ET . SOLI . DIVINO

ET

ET . GENIO
VENALICI
Q . IVLIVS . MAXIMI
LIB . FELIX
CVM . IVLIA
Q . F . ROMANA
ENS
CONIVGE . * LIB . ANIM
VOT . SOLVIT
IMP . . . † . . . CAESAR . AVG . GER . XII
SER . CORNELIO . DOLABELLA . COS

† Domitiani nomen abrasum est.
* Idest libens animo, vt est

In S. Caeciliae Templo diserte insculptum:

C . IVLIVS . ANICETVS
ARAM . SACRATAM . SOLI . DIVINO
VOTO . SVSCEPTO . ANIMO . LIBENS . D . D

Et apud Scappuccios:

L . VMBRICIVS
PRISCVS
LIBENS . ANIMO
D . D

Et:

SOLI . SANCTISSIMO . SACRVM
TI . CLAVDIVS . FELIX . ET
CLAVDIA . HELPIS . ET
TI . CLAVDIVS . ALYPVS . FIL . EORVM
VOTVM . SOLVERVNT . LIBENS . MERITO
CALBIENSES . DE . COH . III

Ad

Ad S. Petrum:

D . M
EX . VOLVNTATE . M' . ACILI
HILARIANI . ANTISTIA . PRIMA
IN . PERFECTVM . CONSVMMA
VIT . MARITO . INCOMPARA
BILI . ET . SIBI . LIBERISQ . SVIS
ITEM . LIBERTIS . LIBERTABVSQ . POS
TERISQ . EORVM

Ad S. Onuphrium:

DIS . MANIBVS
M . ACVTVS
SALVTARIS
FECIT . SIBI . ET . TVRVLLIAE
CONIVGI . SVAE
BENE . VALEAS . RELIGIOSE . QVI
HOC . LECIS
BENE . SIT . FILIS . FILIABVS . MEIS
QVI . ME . BENE . COLVERVNT

Apud Farnesios:

DIS . MAN
Q . SAENI . Q . FIL . FAB
POMPEIANI
COND . IIII . P . AFR
EVFICIA . CLYMENA
VXOR
PROSDECTVS . ET
TRYPHERVS
LIB

In

In Agone, apud Sertorium Theophilum:

DIS . MANIBVS
IVLIAE . SP . F
PROCVLAE
C . IVLIVS . THEOPHILVS
VXORI

Ad Plateam Sciarrae, apud Lapicidinam:

L . AVRELIO
SEVERO
L . AVRELIVS
PRIMITIVOS . ET
AVRELIA
SEVERA
PARENTES . FP

Apud Alberinos:

DIIS . MANIBVS
Q . PROPERTIVS . SECVNDVS
FECIT . SIBI . ET
PROPERTIAE . TRIPHOSAE
PATRONAE . SVAE . BENE
MERENTI . ET
PROPERTIAE . DINAMAE
LIBERTAE . ET . CONTVBERNALI
SANCTISSIMAE

Ad S . Mariae in Via:

V Q . EPPIVS . Q . F . COR . RVF
⊙ CLODIA . C . L . SILENIO
⊖ EPPIA . L . F . PAVLLA . VOTE
NNIANA . MATER
EPPIA . M . F . POLLA

In Hortis Mediceis:

IVLIAE . SEX . F
FRONTINAE
MATRI

Ibidem:

M . VINICIO
CASTO
VINICIA
GLAPHYRA
FILIO . BENE
MERENTI
M . VINICIVS VINICIAE
CORINTHVS TYCHE.ET.SIBI.FECIT

Ibidem:

LIBERO . PATRI
SANCTO . SACR
SEX . CAELIVS
PRIMITIVVS . ET
PVBLICIA . ANTVLLA
VOTO . SVSCEPTO
D . D

Ibidem:

T . STABERIO
SECVNDO . COACTORI
ARGENTARIO . VIATOR
CONSVLARI . ET . PRAET
SIBI . ET
CLAVDIAE . STRATONICAE
VXORI

Apud

Apud Camillum Rusticum:

D I S . M A N I B V S
C O E L I A E . D Y N A T A E
M . V L P I V S . A V G . L I B
V A L E N S . A V E S T E . I M P
P R I V A T A . C O N I V G . K A R I S S
S A N C T I S S I M A E
C V M . Q V A . V I X I T . A N . X X X V I I I
S I N E . C R I M I N E . E T . S I B I
E T . S V I S . L I B E R T I S
L I B E R T A B V S Q V E
P O S T E R I S Q V E
E O R V M

Et:

D I S . M A N I B V S
T I . C L A V D I O . T I . F
Q V I R . G E M I N O
I V L I A . G E M E L L A
M A T E R . F I L I O

Nullus esset congerendarum Inscriptionum modus, si, quascumq. ipse ad hanc rationem spectantes Romae descripsi, referre huc vellem. Illud sane mihi testanti credatur velim, nullum esse in tanta veterum monumentorũ copia Feminarum praenomen a nobis repertum, praeter Caiae, idq. in duobus tantum lapidibus gentilicio nomini praefixum: quod tamẽ ipsum omnium mulierum cõmune fuisse dixeram.

Ad S. Petri Basilic.

Q V I R I N I A . M V S A
C. HELVIDIVS. C. ϽL. BARNACVS

A . TITIVS . A . L . PHILARGYRVS
C . T I T I A . C . L . GLYCERA
IN . FR . P . XIII . IN . AGR . P . XVII

Ad templum Iesu:

C . FVL . QVINTIA . C . FVLVINIA
C . FVLVINIVS . C . L . EROS

Quod si quis ne iurato quidem mihi fidem habendam censeat, velim ipse singulos lapides inspiciat, notet, obseruet. sic fiet profecto, vt in meam sententiam facile concedat. Diuae praenomē, quod Augustorum vxoribus, liberisq. in Deorum numerum relatis praeponebatur, semper excipiendum edico. Non enim ad priuatorum vsum Principis ornamenta trahenda sunt. Quare nihil officit, quod in epistylio legitur:

DIVO . ANTONINO . ET
DIVAE . FAVSTINAE . EX . S . C

Hi Commentarij nihil habent, quod Fidei, aut moribus aduersetur. ac proinde imprimi illos posse censeo. Romae. 3. Decemb. 1593.

M. A. Maffa.

Imprimantur.

F. P. Ioannes Saragoça, Magister, & socius Reuerendissimi Magistri Sacri Palatij.

Imprimantur.
M. Antonius Vicesgerens.